Digitized by Google

R. BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
B
837
NAPOLI

Digitized by Google

ANONYMI ROMANI

QUI

DE PRIMATU PAPÆ

NUPER SCRIPSIT

VANA RELIGIO, ET MALA FIDES:

HOC EST

DEFENSIO

TENTAMINIS THEOLOGICI

DE AUCTORITATE EPISCOPORUM
TEMPORE SCISSURÆ

Adverſus Italicum libellum Ravennæ ſeu verius Romæ nuper evulgatum.

SCRIBEBAT

ANTONIUS PERERIA

FIGUEREDIUS

Regiæ Curiæ Cenſoriæ Decemvir ordinarius, Regiſque Fideliſſimi ab Epiſtulis Latinis.

OLISIPONE
EX TYPOGRAPHIA REGIA.
ANNO MDCCLXX.
Permiſſu Regiæ Curiæ Cenſoriæ.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

Ad calumnias tacendum non eſt ; non ut contradicendo nos ipſos ulciſcamur ; ſed ne aut mendacio inoffenſum progreſſum permittamus ; aut eos, qui ſeducti ſunt, damno quo afficiuntur, inhærere ſinamus.

S. Joannes Chriſoſtomus.

AD EXCELLENTISSIMOS
REVERENDISSIMOSQUE DOMINOS

ARCHIEPISCOPOS
ET
EPISCOPOS
REGNI LUSITANICI
COLONIARUMQUE EJUS.

NON *putaram*, Excellentissimi Antistites, *poſtquam vobis ſemel dedicaſſem* Tentamen Theologicum de Auctoritate Epiſcoporum tempore ſciſſuræ, *fore, ut rurſus cogerer convenire Vos, veſtrumque nomen denuo interpellare adverſus Ariſtarchum quendam inſigniter maledicum, inſigniterque impudentem. Cui enim venire in mentem poterat, auſurum aliquem eas doctrinas adrodere ac notare, quas ſciret a tantis Præſulibus fuiſſe non ſolum comprobatas, verum etiam in exe-*

cutionem miſſas? At quod futurum prudenter cogitaret nemo, facere auſus eſt ante paucos menſes Theologus Ultramontanus; ſive is Theatinus fuerit, ſive Jeſuita, ſive alterius Familiæ; certe Theologus Romanus, certe maledicentiſſimus, & perfrictæ frontis. Qui non contentus me omni contumeliarum genere proſcidiſſe; veſtram quoque dignitatem, veſtram ſapientiam, veſtram fidem quam indigniſſime habuit. Qui non contentus me hæreſeos & ſchiſmatis inſimulaſſe; Vos etiam in conſortium hæreſeos & ſchiſmatis vocare non erubuit.

Præfatus enim in ipſo mox Operis veſtibulo, Lucubrationem ſuam non ad Epiſcopos, ſed ad Chriſtianam Plebem dirigi; fatetur tamen univerſa argumenta, quibus me oppugnandum ſuſceperat, duobus his Principiis tamquam fundamentis inniti. Primo: Debere Epiſcopos maximo zelo in Librum illum inſurgere, e cujus lectione introduci in Fidelem Plebem facile poſſit Hæreſis. *Altero:* Debere Epiſcopos valde timere ab illo Libro, ubi turbida quædam inveniatur confuſio ſchiſmaticarum idearum. *Quod quid aliud, quæſo, eſt,* EXCELLENTISSIMI ANTISTITES, *quam vel de ignorantia, vel de negligentia Vos notare; qui commendatum Vobis Depoſitum Fidei & unitatis vel turpiter neſciviſtis, vel impune ſurripi ac violari per ſummam deſidiam paſſi eſtis?*

Addit Scriptor audaciſſimus, non deſtiturum ſe ab incœpto opere, quamvis nulla ſpes adſit, fore ut Luſitani imbibitam ſemel opinionem aliquando abjiciant: quandoquidem etiam poſt Concilium Tridentinum, Hæreticis licet in ſua contumacia perſiſtentibus, laudabiliter tamen & utiliter definitorum dogmatum defenſionem ſuſceperint Catholici Scriptores quamplurimi. Quod quid aliud eſt, quam Vos vel indociles ad ve-

verum amplectendum, vel obſtinatos in errore toti orbi Catholico denuntiare?

Summam doctrinarum mearum hæc eſt, Excellentissimi Antistites: *Auctoritatem ſive Juriſdictionem Epiſcoporum in divina ſua inſtitutione ſpectatam, ſecluſaque proinde humana Lege omni, vel conſuetudine, vel reſervatione in contrarium; auctoritatem ſive juriſdictionem quandam eſſe abſolutam, & nullis limitibus circumſcriptam, reſpectu ſingularum Diœceſium. Abſoluta hac & illimitata poteſtate ſibi a Chriſto conceſſa, uſos eſſe in iis Provinciis, quas ſinguli regendas ſuſceperant, omnes Apoſtolos: uſos eſſe per octo priora ſæcula intra quamlibet Diœceſim omnes Epiſcopos, tamquam Apoſtolorum Succeſſores. Nihil hac amplitudine & generalitate poteſtatis demi de Primatu Petri: qui Primatus cum eo potiſſimum fine inſtitutus a Chriſto fuerit, ut ſub uno capite ſeu Principe, ſicut unum Epiſcopatum tam multi Epiſcopi, ita unam Eccleſiam tam multæ Eccleſiæ conſtituerent: conſiſtere ille quidem optime poteſt cum eo, quod quilibet Epiſcopus intra ſuam Parœciam eadem & tanta auctoritate jure divino gaudeat, qua & quanta jure divino pro toto orbe gaviſos eſſe omnes Apoſtolos, fatetur idem ille* Bellarminus, *ad cujus Theologiam omnia exigi a nobis Romani volunt.*

Quoniam vero cum ex Sacris Literis, tum ex conſtanti Veterum Traditione planiſſimum eſt; Petrum Apoſtolico Collegio, totam Eccleſiam Chriſtianam tunc temporis repræſentanti, non minus ſubditum extitiſſe, quam Coapoſtolum quemlibet: hinc cum Sancta & OEcumenica Synodo Conſtantienſi, totaque eam ſecuta Eccleſia Gallicana pariter docui; Concilio Generali totam Catholicam Eccleſiam repræſentanti, non minus ſubeſſe Petri Succeſſorem, quam

a 3 quem-

quemvis alium Epiſcopum: neque eo ſenſu quo Concilio ſubeſt, caput ipſum eſſe Concilii; ſed eatenus tantum in Concilio caput eſſe, quatenus inter ſingularia membra omnia, nobilius ac dignius membrum eſt Romanus Pontifex.

Hæc ſunt, Excellentissimi Antistites, *præcipua capita meæ doctrinæ. Quæ cum alia non ſint, quam quæ cum tota antiquitate nobis tradiderunt poſt Conſtantienſem Synodum laudatiſſimi quique non ſolum e Gallia, ſed etiam ex Hiſpania Epiſcopi ac Theologi: ea tamen omnia Romanus Ariſtarchus (cujus tam vanam Religionem eſſe, quam malam Fidem, ex tota hac Reſponſione mea facile deprehenſuri eſtis) perinde inſectatur & carpit, quaſi a me non fuerint aliunde deſumpta, quam e Libris Hæreticorum. Cumque ab his Principiis tota pendeat Epiſcoporum auctoritas; in hæc tamen Principia Voſmetipſos inſurgere jubet bonus Anonymus; in hæc maxime infenſo & commoto animo Vos eſſe percupit.*

Inſpicite, quæſo, Excellentissimi Antistites, *inſpicite paullo attentius, quam vafrum hominis in differendo ingenium ſit; quam ſubdola ejus argumentandi ratio. Si Epiſcoporum auctoritatem ex ſua inſtitutione abſolutam & illimitatam dico; contendit ille ex mea doctrina conſequens fieri, ut nullum ſuperiorem agnoſcere debeant Epiſcopi, nullaque proinde in Epiſcopos auctoritas competat Summo Pontifici. Si Summum Pontificem Concilio Generali ſubjicio; contendit ille, Generalibus pariter Regni Conventibus ſubjici debere Regem. Si adverſus abſolutam Paparum Monarchiam exempla oppono Veterum Aſianorum, Afrorum, & Gallorum Epiſcoporum; omnia hæc ille ejuſmodi exceptione eludere ſe poſſe confidit, ſi dicat; maluiſſe Romanos Pontifices obſiſti*

ſibi

ſibi ab inferioribus patienter ferre, quam pro re me-ra diſciplinæ tot Provincias a Catholica communione abſcindere. Si abuſui Papalis poteſtatis obloquentes induco Robertum Lincolnienſem, Durandum Mimatenſem, Franciſcum Zabarellam, *aliosque recentioris ævi Antiſtites; eos ille* malignos, & arrogantes *vocare non dubitat. Si* Petrum de Alliaco, *ſi* Joannem Gerſonem, *ſi* Nicolaum de Cuſa, *ſi* Toſtatum, *ſi* Panormitanum *laudo; hos ille* fanaticos, *hos* garrulos *dicere non veretur. Si Patres Conſtantienſes ac Baſileenſes profero; tempora hæc ille ait tempora fuiſſe* vertiginum & abortuum, in quibus in errores incidebant vel ii, qui robuſtiſſimi videbantur. *Si denique Clerum Gallicanum, ſi Pariſienſem Facultatem, ſi* Boſſuetos, *ſi* Launojos, *ſi* Dupinos *appello; horum doctrinam ille adfirmat* natales habere admodum nuperos. *Quis jam ferat Scriptorem toti venerandæ antiquitati, tot Synodis, tot Doctoribus non ſolum impudentiſſime illudentem, ſed etiam audaciſſime inſultantem?*

Plane hic locum habet, Excellentissimi Antistites, *quod ad Eugenium III. ſcribebat Bernardus*: Quid tam notum ſæculis, quam protervia & faſtus Romanorum? Gens inſueta paci, tumultui aſſueta. Gens immitis & intractabilis, & uſque adhuc ſubdi neſcia, niſi cum non valet reſiſtere. *Ex hac gente ſuperiori ſæculo exeunte prodiit* Nicolaus Cevolus, *qui Gallis Epiſcopis invidiam creaturus adſerere non dubitavit:* Propoſitiones Cleri Gallicani ad unam omnes, ex Inſtitutionibus Calvini eſſe deſumptas, ac plane hæreticales. *Ex hac gente nunc prodit Anonymus Cenſor, qui ut Epiſcopos Luſitanos tamquam violatæ Fidei abruptæque unitatis reos traducat, Scripto publico ad-*

ſirmare audet, *doctrinas* Tentaminis Theologici *deſumptas eſſe ex Libris* Marci Antonii de Dominis: *harum doctrinarum lectione & propagatione viam ſterni hæreſibus & ſchiſmatibus*: *non debere in poſterum legi* Patris Pereriæ *Lucubrationem ullam*, *niſi prius conſtiterit*, *fuiſſe illam probe examinatam*, *diligenterque diſcuſſam*.

Hæc non magis me, *quam Vos tangere*, Excellentissimi Antistites, *quilibet veſtrum etiam me tacente facile intelligit*. *Vos Romanus Anonymus laceſſit*, *dum me laceſſit*: *veſtram auctoritatem ille oppugnat*, *dum Principia a me ſtabilita oppugnat*: *veſtram exiſtimationem ille labefactat*, *dum hæreticum & ſchiſmaticum Librum Vobis acceptum & probatum queritur*.

Quid igitur faciam? Silebone de hæreſi & ſchiſmate poſtulatus? At vel in ſuſpicione hæreſeos quemquam patientem eſſe vetat Hieronymus. *Feram ab improbo & petulanti Cenſore male haberi dignitatem veſtram? At id minime patitur ſingulare illud ſtudium*, *ſingularisque veneratio*, *qua Epiſcopalem Ordinem ſemper proſecutus fui*. *Enitar ergo quanta maxima potero contentione*, *ut ſicut in* Tentamine Theologico *invictis argumentis demonſtravi*, *quæ & quanta eſſent Epiſcoporum Jura*; *ita in hac Defenſione ejuſdem* Tentaminis *non minori claritate patefaciam*, *quam fuerit Anonymi Romani vana Religio & mala Fides*, *in iiſdem Juribus oppugnandis*. *Oliſipone*, *Kalendis Januariis*, *anno MDCCLXX*.

Excellentiarum Veſtrarum.

Humillimus ac Devotiſſimus ſervus
Antonius Pereria Figueredius.

PROLEGOMENA
AD PLENUM TRACTANDARUM RERUM INTELLECTUM CUMPRIMIS NECESSARIA.

§. I.

Occaſio Operis Tentamen Theologicum *Oliſipone editum; hujus Verſio Italica facta Venetiis; Impugnatio Romæ ad fidem Verſionis.*

Occasione diuturni diſſidii, quod inter Romanam Curiam & Aulam Luſitanam intercedebat, quæri Oliſipone cœptum eſt, num liceret Epiſcopis noſtris ſub illo rerum ſtatu diſpenſare in impedimentis publicis Matrimonii. Aliis ajentibus, aliis negantibus, *Tentamen* ego *Theologicum* evulgavi lingua vernacula, in quo demonſtrare ſum adgreſſus, *ubi Apoſtolica Sedes adiri non poſſit, devolvi ad Dominos Epiſcopos facultatem diſpenſandi in publicis impedimentis Matrimonii, providendique ſpiritualiter in ceteris rebus omnibus Romano Pontifici reſervatis, quoties id publica urgensque ſubditorum neceſſitas poſtularit. Oliſipone, apud Michaelem Rodericium, Eminent. Domini Cardinalis Patriarchæ Typographum, Anno* MDCCLXVI. *Superiorum Permiſſu, in* 4. Quod Opus ſemel & iterum uno illo anno impreſſum, qua fuerit aviditate exceptum, inde colligere licet, quod cum duo millia exemplaria ſint excuſſa, tanta his diebus eorum penuria erat; ut niſi nunc tertia editiones facta doctorum hominum deſideriis feciſſet ſatis Antonius Rodericius Galliardus; vix unum exemplar apud Oliſiponenſes Bibliopolas reperiendum foret.

Cœpit igitur *Tentamen Theologicum* per univerſam Europam volitare maximo cum eruditorum hominum plauſu: id quod relatæ ex Matrito, Pariſiis, Taurino, Venetiis, Neapoli, Trajecto, atque ex ipſa Roma litteræ

terræ teſtabantur. Cœpere & Epiſcopi Luſitani, atque in his Metropolitani tres, in ſecundo & tertio conſanguinitatis gradu intrepide diſpenſare, non ſolum inter Patritios, verum etiam inter plebejos: ut pluſquam ſexcenti intra triennium ex Epiſcopali indulgentia cum conſanguineis Matrimonium celebrarint.

Anno MDCCLXII. Venetiis prodiit ex Officina Vincentii Radicii Italica Verſio *Tentaminis Theologici*, a Marcolino Romano neſcio quo, Sacrorum Canonum Profeſſore adornata. Quæ ubi in manus meas venit, mox cum dolore & ſtomacho deprehendi, mendoſiſſimam illam eſſe, & ab homine Luſitanæ linguæ non ſatis gnaro profectam: ut mirari ſubeat, dignum tam raro honore oculatiſſimis hominibus viſum eſſe Luſitanum Scriptum, cui tot abſurda, tot puerilia imputarit interpres. Utinam emendatior prodeat ejuſdem *Tentaminis* Gallica Verſio, quam a celeberrimo Advocato Curiæ Pariſienſis ſuſceptam & abſolutam ſcio, & quam ſpero Lugdunenſibus typis propediem evulgandam.

Infidæ igitur Verſionis reſarturus damna, anno MDCCLXVIII. volumen alterum Luſitano itidem ſermone in lucem dedi, cui titulus eſt: *Appendix & Illuſtratio Tentaminis Theologici de Auctoritate Epiſcoporum tempore ſciſſuræ. Oliſipone apud Antonium Vincentium Silvium. Permiſſu Regiorum Cenſorum*, in 4. *Appendicem* hanc *Tentaminis Theologici* ineunte anno MDCCLXIX. opportune excepit ejuſdem *Tentaminis* Latina Verſio, a me trium menſium ſpatio abſoluta, & ad fidem Autographi Luſitani exacta cum hoc titulo: *Tentamen Theologicum, in quo demonſtrare conatur Auctor, &c. A ſe primum Luſitanice ſcriptum, deinde a Venetis Italice verſum, denuo recenſuit, Latinitate donavit, crebriſque Adnotationibus illuſtravit Antonius Pereria Figueredius, &c. Oliſipone, apud Antonium Vincentium Silvium, Permiſſu Regiorum Cenſorum*, in 8.

Acceſſit huic editioni præter Notas quamplurimas, Monitum ad Theologos & Epiſcopos in calce Operis collocatum; quo utrique monentur, ut *ſententias ac doctrinas meas de Poteſtate Conciliorum Generalium, Romani Pontificis, & Epiſcoporum, non ab exteris Verſionibus,*

bus, (*quæcumque illæ ſint*) *ſed ab editionibus Oliſiponenſibus ſive Luſitanis ſive Latinis omnino petant*. Acceſſit & *Reſponſio Apologetica ad Cenſuram* Gabrielis Galindi *Theologi Matritenſis*, qui doctrinam de Suprema Auctoritate & Infallibilitate Conciliorum Generalium, tamquam ab Alexandro Papa VIII. proſcriptam, ſatis inconſiderate impugnarat. Quæ *Reſponſio Apologetica* jam ſuperiori anno ſeorſim excuſa erat Latine & Luſitanice, *Oliſipone apud Antonium Rodericium Galliardum, cum facultate Regiæ Curiæ Cenſoriæ in* 8. eodemque anno Matriti Hiſpanice verſa & typis commiſſa.

Secundus à *Galindo Tentamen Theologicum* labefactare adgreſſus eſt Romanus Theologus, cujus Libellus Italice inſcriptus, *Il Primato del Romano Pontefice difeſo contro il Libro della Poteſtà dei Veſcovi circa le Diſpenſe, compoſto dal* P. Antonio Pereira, *e tradotto in Italiano nel* 1767. octavo menſe, quam Oliſipone edita erat Latina Verſio *Theologici Tentaminis*, hoc eſt, menſe Auguſto proxime elapſo, de Roma in hanc Regiam eſt delatus. Editionis locus Ravenna obtenditur. Sed Romæ impreſſum multi ſuſpiciantur. Nomen quoque occultare voluit Auctor: ſed publica vox *Patrem Carraram* Theatinum prodit. Ego ex captiunculis & cavillis, quibus Auctor in argumentando perpetuo utitur, Jeſuitam potius crederem.

§. II.

Speciem Verſionis Italicæ Tentaminis Theologici, *ut adiſcere inde lectores poſſint, & quam infideliter ſenſa mea expreſſerit Interpres Venetus, & quam temere ei fidem habuerit Romanus Anonymus.*

NOn in levibus dumtaxat, neque in uno ſolum alterove in loco peccavit interpres: ſed in iis etiam quæ capitalia ſunt, vel certe maximi momenti, multa ille expreſſit Luſitano Archetypo prorſus diſſona, & cum obvio ac nativo verborum meorum ſenſu aperte pugnantia. Hujus rei aliquot exempla accipe, primum ex Dedicatione, deinde ex corpore Operis.

Exem-

Exempla tria ex Dedicatione.

Scripſeram ego Luſitanice: *He tempo de hirmos apanhando as velas ao Diſcurſo: e já, que moſtrei até agora em que couſa não conſiſte o Primado, paſſe a deſignar já em que elle poſitivamente conſiſta. Ardua empreza por certo! perigoſo paſſo! Só o não terá por arduo, quem não ſouber o pouco ou nada que eſte ponto anda debatido nas Eſcolas.* Quod Latine ita ſonat: *Tempus jam eſt contrahendi vela orationis: ut qui hactenus demonſtravi, in quo non conſiſtat Primatus; deinceps id in quo ille poſitive conſiſtat, deſignare pergam. Arduum ſane negotium! tranſitus periculi & aleæ plenus! Arduum quidem ſolus inficiabitur, qui neſciat, quam parum, vel quam minime in Scholis argumentum hoc diſputari ſoleat.* Locum autem hujuſmodi Venetus interpres ita vertit: *Giacchè è ormai tempo che ſtringa il mio Ragionamento; e poichè ho moſtrato*, IN CHE CONSISTA IL PRIMATO, *paſſi ora a dimoſtrare in che egli poſitivamente debbaſi collocare. Ardua impreſa il confeſſo, e paſſo pericoloſo molto. E ſolo non ſi giudicherà tale da chi* O POCO O NIENTE E' INFORMATO, *quanto ſia dibattuto nelle Scuole queſto punto.* Hoc eſt Latine: *Tempus jam eſt contrahendi vela orationis: ut qui hactenus demonſtravi*, IN QUO CONSISTAT PRIMATUS, *deinceps demonſtrare pergam, in quo ille poſitive debeat collocari. Arduum ſane negotium! tranſitus periculi & aleæ plenus! Arduum quidem ſolus ille non judicabit*, QUI PARUM VEL NIHIL SCIAT, *quantum in Scholis argumentum hoc diſputari ſoleat.* Quæ majuſculis litteris ſunt notata, acutis lectoribus demonſtrabunt, neutro in loco ſenſum meum adſecutum fuiſſe interpretem? Nam in primo adverbium negandi ille male omiſit: in ſecundo autem *parum vel nihil ſcire* dixit, quod ego *parum vel nihil diſputari* dixeram.

Alio in loco ſic habet *Tentamen* Luſitanum: *Tem o Romano Pontifice por certo, que quando define algum Ponto ſolemnemente, lhe aſſiſte o Eſpirito Santo para não errar. Mas no ſeu tanto devem eſperar a meſma aſſiſtencia os Biſpos, quando no governo das ſuas ovelhas encherem*

todas

todas as obrigações de bons Paſtores. Quod ego Latine ita reddidi: *Pro certo habet Romanus Pontifex, ſibi aliquod Fidei caput rite definienti Spiritum Sanctum adeſſe, ne erret. Sed eundem adflatum, proportione quadam ab Spiritu Sancto ſperare debent Epiſcopi, dummodo in regendis ovibus ſuis bonorum Paſtorum partes omnes ſtrenue exequantur*. Italica autem Verſio talis eſt: *Egli è certo certiſſimo, que aſſiſte lo Spirito Santo al Pontefice, qualora ſolennemente definiſce qualche punto di dottrina, acciò non erri. Ma la ſteſſa aſſiſtenza ſperar devono li Veſcovi, quando nel governo delle loro pecorelle tutte adempiſcono le obbligazioni di buon Paſtore*: Quod Latine hunc ſenſum facit: *Certo certius eſt, Pontifici aliquod Doctrinæ caput rite definienti adeſſe Spiritum Sanctum ne erret. Sed eundem adflatum ſperare ab Spiritu Sancto debent Epiſcopi, cum in ovibus ſuis regendis partes boni Paſtoris implent*. Ubi nemo non videt, in priori parte mihi adſcribi, tamquam certiſſimam, doctrinam de Infallibilitate Pontificia; quam ego non mihi, ſed Pontificibus ipſis certam dixeram; & quam in Principio v. *Tentaminis Theologici* non ſemel impugnavi. In altera vero parte inſtitutam a me inter Papam & Epiſcopos comparationem, ex ſeſe quidem veriſſimam & probatiſſimam, valde odioſam reddit interpres, dum vim illorum verborum *no ſeu tanto*, (quod ego Latine verti *proportione quadam*) exprimere prorſus neglexit.

Sed nihil imperitiam interpretis æque demonſtrat, quam quod paullo ante præceſſerat in eadem Dedicatione. Verba mea Luſitana hæc ſunt: *Eſtes são os dous eixos de toda a Diſciplina: regular-ſe o Papa pelos Canones no mandar, e regularem-ſe os Biſpos pelos Canones no obedecer*. Hoc eſt Latine: *Duo hi axes ſunt totius Diſciplinæ: ut Papa Canonibus regatur in præcipiendo, utque Epiſcopi Canonibus regantur in obtemperando*. Qua propoſitione nihil videtur proferri poſſe verius aut ſanius. Sed interpres Venetus, putans voculam illam Luſitanam *no* idem valere, ac Italicum adverbium *non*; ſenſum mihi talem adtribuit, qualem ſanus homo nemo proferret. Sic enim vertit: *A queſti due punti ſi reduce in fatti tutta la diſciplina: cioè che i Papa devo-*

no

no dirigere ed ordinare tutto ſecondo i Canoni, E NON COMANDARE; *e li Veſcovi pure aſſogetarſi e regolarſi ſecondo i Canoni*, E NON UBBIDIRE. Quaſi Latine dixerim: *Ad duo hæc reducitur tota Diſciplina: hoc eſt, ut Pontifices debeant omnia dirigere & ordinare ſecundum Canones, & non imperare; Epiſcopi vero ſimiliter ſecundum Canones ſubjacere, & non obedire.*

Exempla octo ex corpore Operis.

Jam ſi ad Operis lectionem te conferas, nulla fere pagina erit, in qua turpiter hallucinatum interpretem non invenias. Principio I. Numero XIII. ſic habent Luſitana: *Collecção que ſendo feita ſem mais authoridade que a de hum ſimples Monge Benedictino, ainda que douto .... ſubio a hum tal grào de eſtimação, &c.* Quæ Latine verſa hunc ſenſum efficiunt: *Quæ Collectio cum a ſimplici Monacho Benedictino, quantumvis docto, & quidem privata auctoritate fuiſſet confecta .... ad id tamen dignitatis faſtigium evecta eſt, &c.* Hunc vero ſenſum hoc modo corrupit interpres Venetus: *Collezione che fatta per ſolo capriccio d'un Monaco Benedittino, non merita veruna fede, &c.* Quaſi latine diceret: *Quæ Collectio, ſola Monachi Benedictini auctoritate adornata, nullam fidem meretur, &c.*

Paulo poſt hæc leguntur in *Tentamine* Luſitano: *Como he por exemplo a de* S. Agoſtinho *no Livro* II. *da Doutrina Chriſtã cap.* 8. *donde contra a mente do Santo Doutor pretende provar* Graciano *no cap.* In Canonicis, *Diſt.* XIX. *terem as Decretaes dos Papas authoridade das Eſcrituras Canonicas.* Quæ Latine ita verti debent, ut a me revera factum eſt. *Quale verbi gratia illud eſt* Auguſtini *ex Libro* II. *de Doctrina Chriſtiana cap.* 8. *quo probare contendit* Gratianus *cap.* In Canonicis, *Diſt.* XIX. *invito quidem Sancto ipſo Doctore, Pontificia Decreta paris auctoritatis eſſe ac Scripturas Canonicas.* Audiamus nunc, quid Italica Verſio præ ſe ferat: *Qual è per eſempio quella di* S. Agoſtino *nel Libro* II. *de Doctrina Chriſtiana al capo* 8. *da cui contro la mente del S. Dottore pretende* Graziano *di provare nel capo* In Canonicis

nicis *Diſt.* XIX. LE DECRETALI DE' PAPI AVERE LA SUA AUTORITA' DALLE SCRITTURE CANONICHE. Hoc eſt Latine: *Quale verbi gratia illud eſt* Auguſtini *ex Libro* II. *de Doctrina Chriſtiana*, *cap.* 8. *unde contra mentem S. Doctoris conficere intendit* Gratianus *in capite* In Canonicis, *Diſt.* XIX. DECRETA PONTIFICIA SUAM AUCTORITATEM HABERE AB SCRIPTURIS CANONICIS. Nempe Luſitana illa, *de Eſcrituras Canonicas*, cum in genitivo caſu exprimere debuiſſet, per ablativum reddidit interpres. Quo factum eſt verbis meis invitis ac repugnantibus, ut inducerer ipſe *Gratiani* erratis adnumeraſſe ſententiam veriſſimam, adeoque nulla cenſura configendam.

Eodem Principio I. Numero XVI. ſic habent Luſitana: *Finalmente que diſſera, ſe viſſe que os Theologos da Curia preoccupados das ſuas opinioens, como de outros tantos dogmas da Fe Catholica, ferem com as mais acres cenſuras todos os mais, que diſcordão delles, ainda que ſejão os Santos Padres da primiera claſſe?* Quæ in *Tentamine* Latino ſic exponuntur, quemadmodum revera exponi debent: *Quid denique ſi vidiſſet, Romanos Theologos ſtudio opinionum ſuarum quaſi totidem Catholicorum dogmatum abreptos, amarulentiſſimis cenſuris in eos omnes animadvertere, qui ab illis diſſentiunt, adeoque ne ipſis quidem parcere Sanctis Patribus primi ſubſellii?* Italica autem hæc ſunt: *Finalmente che direbbe ſe vedeſſe, che li Teologi della Curia Romana preoccupati nelle loro opinioni, come ſe foſſero tanti dogmi di fede Cattolica, feriſcono con acri e peſanti cenſure tutto ciò che con eſſe non s' accorda*, COME SE FOSSERO TANTI SANTI PADRI DE PRIMA CLASSE? Quæ Latine ſic ſonant: *Quid denique ſi vidiſſet, Romanæ Curiæ Theologos in ſuis opinionibus præoccupatos, tamquam ſi totidem eſſent Catholicæ Fidei dogmata, acribus gravibusque cenſuris notare omne id, quod ab illis diſcordat*, VELUTI SI TOTIDEM IPSI ESSENT SANCTI PATRES PRIMI SUBSELLII? Ultimam periodum peſſime & ineptiſſime expreſſam quis non videat?

Principio V. Numero LII. ſic habent Luſitana: *Aqui ſo advertieri, que depois de receber a Definição e ordem do Papa, juntou* Cypriano *hum Concilio dos ſeus Suffraga-*

ganeos. Latina verſio ſic: *Hic unum illud monebo: poſt acceptam definitionem & præceptum Papæ, Synodum Epiſcoporum Suffraganeorum collegiſſe* Cyprianum. Quid Verſio Italica? Audi. *Di più ſi deve avvertire, che per ricevere la Definizione ed il Decreto del Papa, radunò S. Cipriano un Concilio de' ſuoi Suffraganei*. Hoc eſt Latine: *Ad hæc adnimadverti debet*, S. Cyprianum *pro recipienda Definitione ac Decreto Papæ, Synodum Suffraganeorum ſuorum congregaſſe*. Quod a ſenſu meo immane quantum diſcrepat.

Eodem Principio v. Numero v. ita habent Luſitana: *No anno 871. juntos no Concilio de. Duziaco 30. Biſpos da Provincia de Rems, foi depoſto canonicamente Hincmaro Biſpo de Laon, reo de muitos e graviſſimos crimes, huns canonicos outros civis*. Latina autem ſic: *Anno*. DCCCLXXI. *ab Epiſcopis triginta Provinciæ Remenſis in Concilio Duziacenſi adgregatis, canonice depoſitus fuerat Hincmarus Epiſcopus Laudunenſis propterea, quod multa eaque graviſſima in Canones & Civiles leges peccaſſe convictus eſſet*. Quid interpres Venetus? Audi, & ſtupe. *Trenta Veſcovi della Provincia de Rems radunati in un Concilio in Duziaco, depoſero canonicamente Hincmaro Veſcovo di Laon, reo de molti e graviſſimi delitti*, UNDECI CANONICI, ED ALTRI ECCLESIASTICI. Quaſi Latine quis diceret: *Triginta Epiſcopi Provinciæ Remenſis in Concilio Duziacenſi congregati, Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum depoſuere, multorum graviſſimorum criminum reum*, CANONICOS ITEM UNDECIM, ET ALIOS ECCLESIASTICOS.

Eodem Principio v. Numero VIII. hæc habet Luſitanum exemplar: *Em huma palaura, toda a Antiguidade teve por certo, que a Igreja Romana ſim era a primeira, ſim a principal, ſim a ſuprema entre as mais Ingrejas particulares, mas não Rainha de todas juntas*. Latinum autem hæc: *Verbo dicam; tota Antiquitas pro comperto habuit, Romanam Eccleſiam eſſe quidem primam, eſſe præcipuam, eſſe ſupremam inter omnes alias particulares Eccleſias: ſed Reginam tamen non eſſe conflatæ ex omnibus Eccleſiæ*. Italica Verſio diſtributivum ſenſum magis, quam collectivum referens, orationi alias in-

nocuæ & omnibus Gallis Theologis probatæ invidiam creavit. Sic enim habet: *A corto dire, Tutta l' Antiquità ha ſempre tenuto per certo e coſtante, che la Chieſa Romana ſia bensì la prima, ſia la principale, ſia la ſuprema tra tutte le Chieſe particulari, ma non già Sovrana e Regina delle altre tutte.* Hoc eſt Latine: *Sed Reginam tamen non eſſe aliarum omnium.*

Eodem Principio v. Numero xxv. in Luſitano Archetypo hæc leguntur: *He de ſaber, que alem dos Cardeaes, ſe acharão então em Conſtança alguns duzentos Biſpos.* Quæ Latine hunc ſenſum efficiunt: *Obſervandum autem eſt, præter Cardinales, fuiſſe tunc temporis Conſtantiæ Epiſcopos circiter ducentos.* Interpres Venetus, credens particulam illam *dos*, ut apud Hiſpanos, ita apud Luſitanos ſignificare *duo*; contra fidem cum Autographi, tum Hiſtoriæ, hoc modo vertit: *Ora è da notarſi, che in quel tempo trovavanſi in Conſtanza aſſieme* CON DUE CARDINALI *almeno ducento Veſcovi.* Hoc eſt Latine: *Notandum vero eſt, Conſtantiæ tunc temporis coiviſſe* CUM DUOBUS CARDINALIBUS *minimum Epiſcopos ducentos.*

Paullo infra eodem numero, ſic habet Luſitana: *Pedia a razão, que finco ou ſeis retalhos do Chriſtianiſmo, não tiràſſem nem pudeſſem tirar com a ſua auſencia ou contumacia o vigor e authoridade de huns Decretos acordados e promulgados em publica Seſſão pelos Prelados de dez grandes Regiões Catholicas; das quaes ſo a Alemanha comprehendia mais, que toda a Heſpanha e Eſcocia.* Hæc ego Latine, ut debui, ita reddidi: *Illud recta ratio poſtulabat, ne tanta vis ineſſe crederetur quinque vel ſex Chriſtianitatis fruſtulis, ut ſua abſentia vel potius contumacia vigorem & auctoritatem eliderent vel elidere poſſent eorum Decretorum, quæ in publica Seſſione conſtituta & promulgata fuerant ab Epiſcopis decem Catholicarum Regionum latiſſimarum, ex quibus una Germania totam Hiſpaniam & Scotiam ſuperabat.* Audiamus jam, quomodo apertam & ſimplicem orationem non perturbarit ſolum, ſed penitus etiam labefactarit interpres. *Niuna ragione vuole, che cinque o ſei retagli del Chriſtianeſimo, poteſſero colla ſua renitenza o contumacia togliere ed impedire il vigore e l' autorità a' Decreti formati e publi-*

cati

tati in una publica Seſſione da' Prelati de' maggiori e piu' illustri Reami del Christianesimo, quali erano non solo la Germania tutta, ma anche la Spagna e la Scozia. Quæ Latine ita ſonant: *Nulla ratio patitur, ut quinque vel ſex Chriſtianitatis fruſtula ſua repugnantia vel contumacia poſſent auferre & impedire vim atque auctoritatem Decretorum in publica Seſſione conſtitutorum & publicatorum* ab Antistibus maximarum et illustrissimarum Regionum, quales erant non solum Germania universa, sed etiam Hispania & Scotia.

Eodem Principio v. Numero xxvi. ſic habent Luſitana: *Mas, quando ſe celebrou a Seſſão V. (* *inſtão os quatro Cardeaes) não aſſiſtia ja nella o Papa*, &c. Latina autem ſic: *Sed reponunt quatuor Cardinales: cum quinta Seſſio celebrata eſt, aberat jam a Concilio Romanus Pontifex*, &c. Nempe hoc ſecundum argumentum eſt, quo uſi fuerant adverſus Conſtantienſe Concilium quatuor Cardinales, *Turrecremata*, *Cajetanus*, *Bellarminus*, *Orſius*, quorum nomina declarata a me erant Numero xxiv. Sed Venetus interpres, oblitus eorum quæ paullo ante verterat, putanſque Cardinales quatuor intra parentheſim memoratos ex iis eſſe, qui Conſtantienſi Concilio interfuerant; orationem meam tam pueriliter vertit, ut mihi riſum potius, quam ſtomachum moverit. Sic enim habet: *Ma dicono, quando fu celebrata la Seſſione V.* ad istanza di quattro Cardinali, *non vi fu Preſidente il Papa*, &c. Hoc eſt Latine: *Sed reponunt, quando celebrata fuit Seſſio V.* ad instantiam quatuor Cardinalium, *non præfuit Papa*, &c.

Et hæc tamen illa eſt Italica Verſio, ex cujus fide *Tentamen Theologicum* impugnandum ſuſcepit Romanus Anonymus. Hæc illa eſt Verſio, ex cujus teſtimonio ſententia de mea doctrina Romæ fertur; ut toto orbi hæreticus denuncier, dogmatiſtes, & ſchiſmaticus.

Fatetur quidem Romanus Anonymus in Præfatione Libelli ſui, ignorare ſe, an Luſitanum Autographum fideliter repræſentet interpres Venetus: fatetur ignorare ſe, an ego Italicam hanc Verſionem pro legitima ha-

habeam. Qua igitur conſcientia de ſinceritate Verſionis incertus, certum reum tot errorum Theologicorum me facere auſus eſt? Qua fide tot mihi hæreſes imputavit, quas ne imputaret, ſatis erat animadvertere, qua ex natione eſſem, & qua in urbe ſcripſiſſem, & quibus probantibus, ea quæ ſcripſerim evulgaſſem? Qua fronte tot conviciis, tot contumeliis oneravit eum, quem diffiteri non poterat ab his omnibus in *Tentamine Theologico* abſtinuiſſe? Nempe ab ipſa mox Operis Præfatione Vanam Religionem ſuam & malam fidem oſtendere cœpit Romanus Anonymus. Dolendum tamen vehementer, Romæ ſub Chriſtianis Pontificibus tam ſæpe committi, quod ſub Ethnicis Imperatoribus committi non ſolere teſtatur *Feſtus* in Actibus Apoſtolorum cap. xxv. 16. *Non eſt Romanis conſuetudo damnare aliquem hominem, priuſquam is qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.*

§. III.

Anonymus Romanus quam in ferendis cenſuris acerbus & immodeſtus: quam in argumentando captioſus & ſubdolus.

Quicumque demum fuerit atrociſſimæ Lucubrationis auctor, vel ex ipſa Operis inſcriptione ſatis liquet, calamum illum adripuiſſe non docendi, ſed ſæviendi animo. Quid enim ſibi vult ille titulus, *Primatus Romani Pontificis adverſus Librum Patris Antonii Pereriæ vindicatus*; quam quod nihil aliud propoſitum mihi fuerit in *Tentamine Theologico*, niſi ut Primatum Romani Pontificis funditus everterem? Id autem Scripto publico adfirmaſſe, & adfirmaſſe quidem Romæ, in totius Chriſtiani orbis ſacratiſſima Arce & Metropoli; quid aliud quæſo eſt, niſi toto orbe Catholico Romani Primatus hoſtes, adeoque apertos hæreticos declarare non ſolum me privatum hominem, privatoſque alios Theologos, quibus Libri examen eſt commiſſum; ſed etiam Eminentiſſimum Dominum Cardina-

nalem Patriarcham Oliſiponenſem, Illuſtriſſimoſque Inquiſitores, & Palatinæ Curiæ Regios Senatores; quibus probantibus, certe permittentibus, typis commiſſum, editumque in vulgus eſt, ac publice diſtributum *Tentamen* illud *Theologicum*? Cumque huic urbanorum Tribunalium ſive adprobationi ſive permiſſioni acceſſerit poſtea expreſſus conſenſus omnium Dominorum Epiſcoporum, a quibus doctrina Libro contenta non modo laudata eſt, verum etiam in executionem miſſa: acceſſerit & conſenſus innumerabilium Doctorum ac Magiſtrorum ex Clero & Religioſis Familiis: (nequid interim dicam de Auguſtiſſimo Rege noſtro ejuſque Sacratiſſimo Conſiſtorio, quibus admodum gratam extitiſſe conſtat hanc Epiſcoporum & Theologorum de meo Libro conſenſionem) conſequens illud neceſſario ſit ex ſententia Anonymi; vel totam Luſitaniam ignoraſſe penitus, quid doctrinæ in *Theologico Tentamine* traderetur; vel in id conſpiraſſe totam, ut Scripto publica auctoritate evulgato Primatus Romani Pontificis oppugnaretur.

Libelli titulo cohæret Dedicatio, in qua Sanctum Patriarcham Joſephum ſic auctor adloquitur, ut etiam orando mihi oblatret. Ait enim, Patronum Operis Beatum Joſephum ſe propterea elegiſſe, quod apud Deum inſignis ille Advocatus exiſtat pro articulo mortis, in quo ſcilicet *valde timere ſolent vel ipſi audaciſſimi Libertini*. Atque hic me jam habes Libertinis adnumeratum; ut nihil jam mirere, alibi me a bono Anonymo comparari cum *Melancthone*, alibi cum *Mornæo*, alibi cum *Marco Antonio de Dominis*, alibi cum *Ruſſæo*.

Breviſſimam Dedicationem excipit Præfatio ſatis longa, quæ quanta quanta eſt, mera contumelia eſt in Auctorem *Tentaminis Theologici*; in ipſum *Tentamen*; in Oliſiponenſes Cenſores, qui illud ſuis calculis comprobarunt; in Epiſcopos Luſitanos, qui ejus doctrinam ſunt amplexi.

Contumelioſa Præfatio eſt in Auctorem *Tentaminis Theologici*, quem adſerit *fundamenta Fidei & Unitatis concuſſiſſe: per oſtentationem immenſæ eruditionis bona fide* Le-

Librorum abuſum eſſe: protrita hæreticorum argumenta adverſus Primatum Summi Pontificis, licet a Catholicis Scriptoribus ſæpiſſime confutata, tamquam ultimæ inventionis arma in aciem produxiſſe. Contumelioſa in ipſum *Tentamen*, quem Librum vocat *periculoſiſſimum, confuſiſſimum, vere caliginoſum, ſchiſmaticis ideis refertum, & cujus lectione introduci hæreſis facile poſſit in commune fidelium*. Contumelioſa in Cenſores Oliſiponenſes, quos factioſe & negligenter examinaſſe Librum meum non obſcure innuit, dum & encomia quibus me ornarunt, irridet; & fideles omnes hortatur, ut nullum alium Librum de re Eccleſiaſtica a me compoſitum legant in poſterum, niſi quem ipſis conſtet fuiſſe recognitum *cum omni diligentia & debito examine*. Contumelioſa denique in Epiſcopos Luſitanos, quibus cum probatam ſciret meam doctrinam, auctor eſt Romanus Anonymus, ut Librum meum neque in pretio habeant, neque complectantur; ſed potius abjiciant, odio proſequantur, in illum inſurgant, valde ſibi & ſubditis ab illo timeant.

Vitio mihi vertit Anonymus, quod Librum meum ad ipſos direxerim Epiſcopos: interim tamen fatetur ipſe, ratiocinia ſua omnia duobus his Principiis ſuperſtructum iri. Primo: *Debere Epiſcopos maximo zelo in ejuſmodi Librum invehi, qui facile poſſit in commune fidelium hæreſim introducere*. Altero: *Debere Epiſcopos valde timere ab illo Libro, qui turbida ſchiſmaticarum idearum confuſione horrendus inveniatur*.

Addit non debere ſupervacaneam aut inutilem exiſtimari Opellam ſuam ex eo præciſe, *quod nulla opinionum mutatio ſperari poſſe videatur neque in me, neque in iis qui ſententias meas jam ſint amplexi. Nam etiamſi in erroribus ſuis tuendis obſtinati perſtitere poſt Concilium Nicænum* Ariani, *poſt Epheſinum* Neſtoriani, *poſt Chalcedonenſe* Eutychiani, *poſt Tridentinum denique* Lutherani, Calviniſtæ, & Sociniani: *neminem tamen negaturum fore, quin Chriſtiano populo fuerint maxime ſalutares cum illorum omnium Conciliorum Definitiones, tum ſuſceptæ eorundem ab Catholicis Scriptoribus Defenſiones*. Quæ quidem omnia ſi ex mente & intentione Anonymi non eo ſpectant, ut ego & omnes Epiſcopi ac

Theologi Luſitani, quibus probata eſt mea doctrina, in hæreticorum claſſem rejiciamur, tamquam peſtes Chriſtianæ Reipublicæ: fateri certe debet Anonymus, nimis invidioſe a ſe prolata eſſe, & animo laceſſendi.

Illud quoque Anonymus pollicetur *a citandis pro Supremo Primate Italis Auctoribus perpetuo ſe abſtenturum*: excepto quod Pii Secundi ſemel meminiſſe coactus ſit, *ad tollendum errorem, in quem ego Lectores poſſem inducere, dum Pio Secundo teſtimonia quædam adſcribo, quæ ad* Æneam Silvium *ſunt referenda*. Quæ mera quidem impoſtura eſt. Nam qui *Tentamen Theologicum* adcurate legerint, facile deprehendent, me ubicumque teſtimonia e Pio Secundo laudavi, diligenter diſtinxiſſe *Æneam* a Pio. Nempe Principio v. Numero xix. *Audiat* Æneam Silvium *Cardinalem Senenſem, qui poſtea fuit Papa Pius II:* Et Numero xxxvi. *Panormitanum excipit* Æneas Silvius, *qui antequam ſub nomine Pii II. Romanus Pontifex eſſet, Concilii Baſileenſis a ſecretis fuerat*, &c. Et paulo infra: *Illud magis admirationem movet*, *quod* Æneas *ipſe jam Pontifex factus*, &c.

Jam ſi tres ipſas Diſſertationes, quibus *Tentamen Theologicum* impugnare conſtituit Anonymus, legendo evolveris; quot & quanta ibi, Deus bone, conjecta in me conviciorum plauſtra invenias! Felle illum pro atramento, aculeo pro calamo uſum facile credas; qui meam de Epiſcoporum auctoritate doctrinam paſſim adpellat ſin minus hæreticam, *certe erroneam & ſapientem hæreſim; ſchiſmati viam ſternentem; ex ſolis hæreticorum Libris hauſtam; ab Eccleſia ſæpe ſæpius proſcriptam*, *adeoque Chriſtiano populo maxime noxiam*, *maxime deteſtandam; & quæ ſi graſſari permittatur, apta & ſufficiens ſit ad totam Chriſtianitatem ſchiſmatibus implendam & ſcindendam*. Qui me tertio quoque verbo dicere nullus dubitat *Romanæ Eccleſiæ Romanique Primatus invidum hoſtem; Eccleſiaſticæ Hierarchiæ everſorem; Doctrinæ Orthodoxæ transfugam; novatorem, ſeductorem, cæcum, erraticum, obnoxium, pugnantia loquentem*; & quidquid præterea maledictorum ad ſtimulandum & laceſſendum venire in buccam poterat homini furioſo, & ſui omnino impotenti. Qui denique totus in eo eſt, ut

ut imperitæ multitudini perſuadeat, *Tentamen Theologicum* peſtiferæ eſſe doctrinæ Librum; utque auctorem Libri, tamquam in re Theologica infantiſſimum, fideique admodum ſuſpectæ, malevolorum ſannis ac ludibrio exponat.

Ego vero qui probe ſciam, moris eſſe Theologorum Romanorum hæreticum & ſchiſmaticum judicare, quidquid abſolutæ Monarchiæ Summi Pontificis adverſatur; parique acerbitate ſuperiori ſæculo in Libros *Marcæ*, *Natalis Alexandri*, *Gerbaſii*, *Launoji*, & in ipſam Declarationem Cleri Gallicani ſævitum eſſe a Romanis Cenſoribus? uſque adeo ejuſmodi notis & maledictis non excandeſco, ut his potius apud cordatos magis magiſque confirmari atque illuſtrari putem non ſolum cauſam meam, ſed etiam exiſtimationem & famam.

Nam quod ad Anonymum noſtrum pertinet, quis ſibi non ducat ad decus & gloriam profutura ejus hominis probra, qui ſanctiſſimum illum & laudatiſſimum Theologum *Joannem Gerſonem*, adpellare non veretur *fanaticum*, *ſcandaloſum*, *garrulum*.

Quod ſi quis curioſius inquirat in fontem tot irarum, & convitiorum; non alium ille profecto inveniat, niſi quod Romani Theologi pro certiſſimis tuendæ dignitatis Pontificiæ, conſervandæque Catholicæ unitatis fundamentis habent, haberique ab omnibus volunt hæc tria. I. Totam auctoritatem Epiſcoporum eſſe a Papa, non ſecus ac tota auctoritas Magiſtratuum eſt a Rege. II. In definiendis Fidei capitibus unum Papam eſſe infallibilem. III. Non ſolis particularibus Eccleſiis & Epiſcopis ſingulis, verum etiam tota Eccleſia univerſaliter & collectim ſumpta, ſuperiorem eſſe Romanum Pontificem, cujus poteſtas propterea nullis Generalium Conciliorum Canonibus reſtringi vel coarctari valeat. Hæc quoniam *Gerſon* & ego negamus, ille quidem *fanaticus*, *ſcandaloſus*, *garrulus* vocitatur; ego vero *Romani Primatus inimicus*, *unitatis everſor*, *hæreſeos & ſchiſmatis fautor*.

Atque ex eodem fonte illud eſt, quod *Edmundum Richerium* ejusque *de Poteſtate Eccleſiaſtica* Libellum & Apologiam, cane pejus & angue cum Romanis Theolo-

gis

gis omnibus odit Anonymus: qui ut nomini & Libro meo infamiam adſpergat, ſolet me ignominiæ cauſa *Richerianum* dicere, hoc eſt, (ut ſuo loco demonſtrabitur) doctrinæ de omnino abſoluta ac deſpotica Monarchia Papæ oppugnatorem & inimicum.

Audiſti immodeſtum & maledicum Cenſorem. Audi nunc ſubdolum & captioſum Diſputatorem. Scilicet tota doctrina a me tradita de poteſtate Epiſcoporum, tum in ſe ſpectata, tum relate ad Summum Pontificem; Theologorum multorum ex omni natione probatiſſimorum ſuffragiis, in primis vero Eccleſiæ Gallicanæ & Sacræ Facultatis Pariſienſis notiſſimis Placitis ac Decretis innititur. Id ego in *Tentamine Theologico* ejuſque *Appendice* abunde demonſtravi. Id rurſus tota hac Lucubratione, & quidem multo adhuc uberius & ſplendidius, demonſtrabo adverſus Romanum Anonymum. Nihil proinde in utroque illo Opere dixi, quod non magis & celebratiſſimis auctoribus dixerim nihil omnino tradidi, quod ante non fuerit a Catholicis Theologis bene multis perinde traditum: ut ſi qua confectaria cum Catholicis dogmatibus pugnantia, ex Principiis a me ſtabilitis deducere liceat; ea non minus in tot Scriptores celeberrimos, quam in me valeant.

Vidit hoc ſane ipſe Anonymus, quem latere videlicet minime poterat, *Tentamen Theologicum* non aliis a me ſuperſtructum eſſe Principiis, quam quæ *Alliacenſis* & *Gerſonis* veſtigia prementes, in Libris ſuis propoſuerant *Boſſuetus* Meldenſis Epiſcopus, *Aurelius*, *Launojus*, *Dupinus*, *Natalis Alexander*, *Fleurius*, & tot alii Scriptores Galli: non aliis item argumentis munitum & inſtructum, quam quibus in eadem re tractanda uſi fuerant non ſolum Scriptores ſupra commemorati, ſed etiam ipſe *Marca* & *Thomaſſinus*, quos Anonymus mihi ſubinde objicit; ut nihil in præſentia dicam de iis, quæ mihi ſubminiſtrarunt aliarum gentium Scriptores præclariſſimi; ut Cardinalis *Cuſanus*, *Toſtatus* Epiſcopus Abulenſis, *Andreas Eſcobarius*, *Nicolaus Panormitanus*, *Dionyſius Carthuſianus*, *Joannes Driedo*, *Franciſcus de Victoria*, *Dominicus Sotus*, *Alphonſus de Caſtro*, *Martinus Navarrus*, & ipſe Cardinalis *Bellarminus*.

Sed

Sed illud pariter vidit Anonymus, ſi doctrina quam proſcindere volebat atque odioſam reddere, eadem deprehenderetur eſſe, quæ a Catholicis Doctoribus impune traderetur; futurum omnino fuiſſe, ut ejus Lucubratio non ſolum apud prudentes rerum æſtimatores nullam fidem obtineret: ſed etiam e contrario cum riſu & ſibilis a tota Litteratorum Republica exciperetur.

Ergo arte & fraude ſibi omnino utendum ratus, in Librum meum non quaſi communia probatis Theologis, ſed quaſi nova tradentem, & ſolis hæreticis familiaria, non minori ferocia quam calliditate invectus eſt. Et ut felicius ſuccederet dolus, obruere me ſtatim ab initio cœpit quamplurimis teſtimoniis diligenter conquiſitis e Clero Gallicano, *Boſſueto*, *Natale Alexandro*, *Fleurio*, & quod magis mirere, e *Gerſone* & Baſileenſibus Patribus: quæ teſtimonia quoniam magnifica & illuſtria quædam complectebantur de ſuprema auctoritate Romani Pontificis, deque omnibus veneranda & ſuſpicienda dignitate Sedis Apoſtolicæ; invicto quidem argumento fore videbantur imperitis Lectoribus, longe aliam de Romano Primatu ſententiam inſediſſe tot egregiis Theologis & Antiſtitibus, quam quæ a me fuerat in *Tentamine Theologico* tradita & inculcata.

Verum diſſimulabat interea acutus Diſputator, eoſdem illos Theologos & Antiſtites fuiſſe, de quorum ſententia ſuam Epiſcopi ſinguli poteſtatem non a Papa, ſed a Chriſto immediate habeant: de quorum ſententia immediatius in Eccleſia ſive in toto Epiſcoporum corpore, quam in ſolo Papa reſideat tota poteſtas clavium; de quorum ſententia Papa ipſo ſuperius ſit Concilium Generale: de quorum ſententia irreformabile haberi non debeat Summi Pontificis de Fide judicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit: de quorum denique ſententia conſiſtere hæc omnia optime poſſint cum ipſo Romani Pontificis Primatu, imo cum certa quadam Monarchia pro tota Eccleſia.

Quid dicam de arte illa, ſeu potius dolo malo, quo Anonymus ipſe, ubi ſe videt vel teſtimoniorum ſplendore, vel monumentorum copia obrutum iri; ſtudioſo

r ſilen-

ſilentio premere ſolet ea omnia, quæ plus virium & lucis habere videantur? Exemplis aliquot rem breviter illuſtremus.

Affirmaram ego in Dedicatione Operis, auctoribus *Guillelmo Pariſienſi*, *Nicolao de Cuſa*, & *Dominico Soto*, Apoſtolorum auctoritatem fuiſſe univerſalem, non ſecus ac Petri. Anonymus prætermiſſo *Guillelmo Pariſienſi*, & *Dominico Soto*, unum meminit *Nicolaum de Cuſa*, quem utpote Baſileenſibus addictum, non tanti faciendum credidit.

In primo Principio Numero IX. obſervaram ex *Petro Aurelio* & *Ludovico Thomaſſino*, *prioribus Eccleſiæ ſæculis ſi qua hæreſis vel ſuſpecta doctrina emergeret, Epiſcopos fuiſſe, qui apud ſuas Synodos &c. hæreſim condemnabant, & hæreticos ad palinodiam compellebant: nullumque ex hæreticis declinare tunc temporis vel eludere auſum eſſe vim horum judiciorum Epiſcopalium eo ſolo prætextu, quod judicia illa non eſſent infallibilia*. Anonymus *Aurelium* & *Thomaſſinum* tacens, uni *Burneto* hæretico hoc adſcribit, quocum mihi belliſſime convenire contendit.

Eodem Principio I. Numero XVI. obſervaram ex *Durando* Epiſcopo Mimatenſi, improbatum & rejectum fuiſſe a Beato Gregorio Magno titulum Œcumenici ſive *Univerſalis Epiſcopi*. Anonymus ne nominato quidem *Durando*, argumentum illud adfirmat me deſumpſiſſe e *Mornæo* aliiſque hæreticis. Quaſi præter *Durandum* ad manum mihi non eſſent *Launojus*, *Thomaſſinus*, *Maiburgus*, *Natalis Alexander*, & tot alii Scriptores Orthodoxi, qui illud ipſum ex Gregorio adnotarant. Vel quaſi eo ipſo in loco non monuerim cum *Boſſueto*, pertinere hoc non ad tollendum Primatum, ſed ad comprimendum Primatus abuſum.

Principio V. a Num. II. ad Num. VII. quamplurimis ego, iiſque graviſſimis ac luculentiſſimis exemplis & teſtimoniis Conciliorum & Patrum antiquorum demonſtraram; auctoritatem Summorum Pontificum non deſpoticam eſſe, ſed Canonibus moderandam. Anonymus vaniſſima & maxime perfunctoria ſolutione eludens, quæ ex facto *Policratis* Epheſini & altero illo *Cypriani* erant objecta; celeberrimam Africanorum

cum

cum Papa Zoſimo controverſiam, petitaque ex *Glabb* & Conciliorum quinque Gallicorum Actis illuſtria argumenta, penitus relinquit intacta.

§. IV.

Ordo & ratio a me obſervanda in refutando Anonymo.

CUm igitur tota machina argumentorum & cenſurarum, quibus me ac Librum meum impetivit Anonymus, uno eo & quidem falſiſſimo fundamento innitatur, quo ille perſuadere imprudentibus Lectoribus eſt conatus, me e ſolis hæreticorum Libris profeciſſe, proindeque nova prorſus & Catholicis auribus inaudita de auctoritate Epiſcoporum & Summorum Pontificum ſtabiliſſe atque evulgaſſe: ubi ſane fundamentum illud penitus fuerit a me everſum, ſtatim quoque concidat neceſſe eſt totum molimen, totaque fallacia ipſius Anonymi.

Id autem me quam facillime conſecuturum ſpero, ubi contra ac ille perſuadere tentavit, demonſtrationibus meis evicero ſequentia capita: nempe univerſas poſitiones ac doctrinas *Tentaminis Theologici*, quibus litem movit Anonymus, adprime Catholicas eſſe, & Theologis adprime Catholicis probatas: nihil his lædi aut labefactari ſolida Romani Primatus jura: nihil in illis contineri, quo Catholica unitas abrumpi poſſit aut in diſcrimen venire. Vanam propterea Religionem eſſe Anonymi Romani, dum a Libro meo cavere jubet Epiſcopos & fideles omnes, tamquam a Libro noxiæ & feralis doctrinæ, & cujus lectione pertrahi ad hæreſim & ſchiſma facile poſſint incauti. Mala denique fide agere eundem Anonymum, dum meam doctrinam cum hæreticorum doctrina confundens, pro immotis & ubique recipiendis Catholicæ Fidei dogmatibus venditat privatas Romanæ Curiæ opiniones.

Ut autem eodem ordine, quo *Tentamen Theologicum* diſcuſſit Anonymus, cenſuris ejus ſatisfaciam: primus mihi labor erit in depellenda a Libro meo hæreſis ignominia: ſecundus in eluenda ſchiſmatis labe: tertius

tius in vindicandis iis, quas *confuſiones* meas vocat Anonymus.

Ergo tribus Anonymi Diſſertationibus, ſeu potius ſatyricis Declarationibus, tres meæ Diſſertationes reſpondebunt: in quibus deligenter operam dabo, ut nihil eorum diſſimulem, quæ ab illo ſunt objecta; niſi ob manifeſtam futilitatem digna videantur, quæ contemni potius, quam refutari debeant.

Quoniam vero Anonymus Romanus nullius teſtimoniis adverſus me frequentius utitur, quam *Boſſueti* Meldenſis Epiſcopi: non mirabuntur, credo, neque reprehendent Lectores, quod nullius ego viciſſim teſtimonia ſæpius urgeam adverſus Anonymum, quam ipſius *Boſſueti*; e cujus profecto Libris, præſertim vero ex *Defenſione Declarationis Cleri Gallicani*, plus me profeciſſe fateor, quam ex omnibus aliorum.

ANONYMI ROMANI
QUI
DE PRIMATU PAPÆ
NUPER SCRIPSIT,
VANA RELIGIO, ET MALA FIDES.

DISSERTATIO I.

Quæ tota verſatur in depellenda a Libro meo hæreſis ignominia.

CAPUT I.

Exponitur cenſura Anonymi.

PRIORI Diſſertationi ſuæ hoc velut Thema præmittit Anonymus : *Debent Epiſcopi maximo zelo in ejuſmodi Librum invehi, qui hæreſim in commune fidelium introducere facile poteſt*. Tale autem Anonymus judicat *Tentamen Theologicum*, in quo proinde multiplicem ille hæreſim comminiſcitur.

Prima eſt, *quod Primatum juriſdictionis negavi, quem in Romano Pontifice jure divino agnoſcit Eccleſia Catholica, & quem in Decreto unionis definivit Œcumenica Synodus Florentina*.

Secunda, *quod ducem ac magiſtrum ſecutus* Marcum Antonium de Dominis, *Apoſtolos omnes, quibus ſucceſſére Epiſcopi, non Petro ſubditos, ſed æquales poteſtate feci*: contra atque adverſus Spalatenſem illum Archiepiſcopum declaravit Theologica Facultas Pariſienſis.

Tertia, *quod eodem duce ac magiſtro, ceteras pariter Eccleſias in auctoritate coæquavi cum Romana Eccleſia*;

nullamque proinde hujus præ ceteris prærogativam, ſive excellentiam, agnovi: contra atque Sancti Patres totaque antiquitas Chriſtiana, diſertiſſime proteſtati ac profeſſi ſunt.

Quarta, *quod expreſſe docui cum Novatoribus, in diſtinguenda hæreſi a vera doctrina ſperare debere Epiſcopos, eadem ſe luce a Deo colluſtratum iri, qua Romanus Pontifex gaudet, modo injuncto ſibi munere ſtrenue ſinguli fungantur: poſſe item alios Epiſcopos Romano Pontifici obloqui & refragari; poſſe in illum excommunicationem evibrare, ſi ipſe officio deſit ſuo*: cum e contrario præceperit Chriſtus apud *Matthæum XXIII. Super Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi. Quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite; opera autem nolite facere*.

Quinta, *quod* Richerii *ſyſtema amplexus Eccleſiaſticum regimen non Monarchicum, ſed Ariſtocraticum ſtabilivi: imo doctrinæ recentiorum hæreticorum accedens, Papam & Epiſcopos ſubdidi communitati omnium fidelium, etiam laicorum & mulierculaarum*: quod catholicas aures tanto percellit horrore, ut ipſo Anonymo teſte, vel ipſos *Queſnellianos* puduerit hujus doctrinæ.

Habes hic ſummam hæreſeon mihi ab Anonymo adſcriptarum, ſi non totidem verbis, iis tamen expreſſa, quorum eadem & æqualis vis eſt.

CAPUT II.

Singulis hæreſibus Libro meo adfictis luculentiſſima ejuſdem Libri teſtimonia opponuntur. Tentamini Theologico *ſuppetias fert ejus Appendix*.

TAmetſi ad negandam fidem iis, quæ *Tentamini Theologico* imputavit Anonymus, ſatis erat animadvertere cordatos viros, Oliſipone illud fuiſſe excuſſum atque evulgatum, qua Regia Chriſtiano Orbe toto nulla extat magis Catholica, nulla Apoſtolicæ Sedis obſervantior; excuſſum autem & evulgatum cum bona venia non ſolum Illuſtriſſimorum Inquiſitorum & Domini Patriarchæ, ſed etiam Regiæ Curiæ Cenſoriæ; cujus quanta ſit vigilantia quantuſque ardor pro tuendo

tuendo Romani Pontificis Primatu, luculenter oſtendit Edictum, non ita pridem publicis locis adfixum, adverſus Libellum Gallicum, qui Primatum illum negabat juris eſſe divini, cui condemnationi unanimi Deputatorum omnium conſenſu decretæ me quoque ſubſcripſiſſe norunt omnes, qui me unum eſſe ſciunt ex xx. Viris illis, quibus Regium Supremumque Tribunal illud conſtat.

Tametſi, inquam, ad detegendas & refutandas Anonymi Romani calumnias ſatis erat animadvertere, quæ paullo ante memoravi: ut tamen multo adhuc illuſtriorem ac firmiorem mihi defenſionem pararem, fierentque Adverſarii ipſius impoſturæ quo manifeſtiores, eo inviſiores: optimum factu viſum eſt, antequam doctrinas meas probatiſſimorum Theologorum ſuffragiis confirmarem, impactas hæreſes teſtimoniis ipſis *Tentaminis Theologici* a me refelli.

Ac Primatum quidem ipſum juriſdictionis ego in Romano Pontifice tam diſerte, tam frequenter agnovi & profeſſus fui; ut plane ignorem, an breviſſimi Libri auctor ullus fuerit, qui diſertius ac frequentius agnoverit. Audi in ipſa mox Dedicatione Operis diſſerentem: *Dominus noſter* Jesus Christus *in perſonâm Beati Petri Primatum ipſum inſtituit, voluitque in Eccleſia ſua (quemadmodum conſtans omnium Patrum omniumque ſæculorum traditio fert) perpetuo eſſe Principem quendam, ſeu viſibile caput omnium Chriſtianorum.* Et mox: *Conſervatione & ſucceſſione Primatus nobilitare Eccleſia voluit illam urbem, quæ & caput erat orbis totius, & Sedes primi maximique Epiſcopi fuerat.*

Rurſus in eadem Dedicatione: *Planum ergo eſt, ſupremam illam Inſpectionem ac Superintendentiam, in qua* S. Bernardus *eſſentiam Primatus collocat, nihil aliud eſſe, quam inter Antiſtites omnes ſic Romanum Pontificem eminere, ut caput primumque Præſidem Epiſcoporum: ad quem proinde ex Primatus officio ſpectet toti Eccleſiæ invigilare eo fine, ut munia ac miniſteria gradus ſui perfecte obeat unuſquiſque*, &c. Et paullo poſt: *Confirmatur egregie hæc Primatus notio, ubi animum adverterimus, quo illum fine inſtituerit Chriſtus. Conſentiunt univerſi*

nullamque proinde hujus præ ceteris prærogativam, *ſive excellentiam*, *agnovi*: contra atque Sancti Patres totaque antiquitas Chriſtiana, diſertiſſime proteſtati ac profeſſi ſunt.

Quarta, *quod expreſſe docui cum Novatoribus*, *in diſtinguenda hæreſi a vera doctrina ſperare debere Epiſcopos*, *eadem ſe luce a Deo colluſtratum iri*, *qua Romanus Pontifex gaudet*, *modo injuncto ſibi munere ſtrenue ſinguli fungantur*: *poſſe item alios Epiſcopos Romano Pontifici obloqui & refragari*; *poſſe in illum excommunicationem evibrare*, *ſi ipſe officio deſit ſuo*: cum e contrario præceperit Chriſtus apud *Matthæum XXIII. Super Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi*. *Quæcumque dixerint vobis*, *ſervate & facite*; *opera autem nolite facere*.

Quinta, *quod* Richerii *ſyſtema amplexus Eccleſiaſticum regimen non Monarchicum*, *ſed Ariſtocraticum ſtabilivi*: *imo doctrinæ recentiorum hæreticorum accedens*, *Papam & Epiſcopos ſubdidi communitati omnium fidelium*, *etiam laicorum & mulierculaſum*: quod catholicas aures tanto percellit horrore, ut ipſo Anonymo teſte, vel ipſos *Queſnellianos* puduerit hujus doctrinæ.

Habes hic ſummam hæreſeon mihi ab Anonymo adſcriptarum, ſi non totidem verbis, iis tamen expreſſa, quorum eadem & æqualis vis eſt.

CAPUT II.

Singulis hæreſibus Libro meo adſictis luculentiſſima ejuſdem Libri teſtimonia opponuntur. Tentamini Theologico *ſuppetias fert ejus Appendix*.

TAmetſi ad negandam fidem iis, quæ *Tentamini Theologico* imputavit Anonymus, ſatis erat animadvertere cordatos viros, Oliſipone illud fuiſſe excuſſum atque evulgatum, qua Regia Chriſtiano Orbe toto nulla extat magis Catholica, nulla Apoſtolicæ Sedis obſervantior; excuſſum autem & evulgatum cum bona venia non ſolum Illuſtriſſimorum Inquiſitorum & Domini Patriarchæ, ſed etiam Regiæ Curiæ Cenſoriæ; cujus quanta ſit vigilantia quantuſque ardor pro tuendo

tuendo Romani Pontificis Primatu, luculenter oſtendit Edictum, non ita pridem publicis locis adfixum, adverſus Libellum Gallicum, qui Primatum illum negabat juris eſſe divini, cui condemnationi unanimi Deputatorum omnium conſenſu decretæ me quoque ſubſcripſiſſe norunt omnes, qui me unum eſſe ſciunt ex xx. Viris illis, quibus Regium Supremumque Tribunal illud conſtat.

Tametſi, inquam, ad detegendas & refutandas Anonymi Romani calumnias ſatis erat animadvertere, quæ paullo ante memoravi: ut tamen multo adhuc illuſtriorem ac firmiorem mihi defenſionem pararem, fierentque Adverſarii ipſius impoſturæ quo manifeſtiores, eo inviſiores: optimum factu viſum eſt, antequam doctrinas meas probatiſſimorum Theologorum ſuffragiis confirmarem, impactas hæreſes teſtimoniis ipſis *Tentaminis Theologici* a me refelli.

Ac Primatum quidem ipſum juriſdictionis ego in Romano Pontifice tam diſerte, tam frequenter agnovi & profeſſus fui; ut plane ignorem, an breviſſimi Libri auctor ullus fuerit, qui diſertius ac frequentius agnoverit. Audi in ipſa mox Dedicatione Operis diſſerentem: *Dominus noſter* Jesus Christus *in perſonâm Beati Petri Primatum ipſum inſtituit, voluitque in Eccleſia ſua (quemadmodum conſtans omnium Patrum omniumque ſæculorum traditio fert) perpetuo eſſe Principem quendam, ſeu viſibile caput omnium Chriſtianorum*. Et mox: *Conſervatione & ſucceſſione Primatus nobilitare Eccleſia voluit illam urbem, quæ & caput erat orbis totius, & Sedes primi maximique Epiſcopi fuerat*.

Rurſus in eadem Dedicatione: *Planum ergo eſt, ſupremam illam Inſpectionem ac Superintendentiam, in qua* S. Bernardus *eſſentiam Primatus collocat, nihil aliud eſſe, quam inter Antiſtites omnes ſic Romanum Pontificem eminere, ut caput primumque Præſidem Epiſcoporum: ad quem proinde ex Primatus officio ſpectet toti Eccleſiæ invigilare eo fine, ut munia ac miniſteria gradus ſui perfecte obeat unuſquiſque*, &c. Et paullo poſt: *Confirmatur egregie hac Primatus notio, ubi animum adverterimus, quo illum fine inſtituerit Chriſtus. Conſentiunt univerſi*

Patres, *finem alium non fuiſſe*, *quam ut vitatis diviſionibus unitas ſervaretur*. Huc ſpectat, quod in ipſo mox initio præceſſerat: *Petrum Catholicæ unitatis velut centrum conſtituerat Dominus*.

Tandem ut alia omittamus, illud in eadem Dedicatione legitur æque luculentum: *Eſt ergo Romanus Pontifex Princeps & Caput totius Eccleſiæ . . . Poteſt quidem leges ferre & promulgare pro tota Eccleſia . . . . Poteſt quidem abrogare & reſcindere, quidquid legum & Conſtitutionum Epiſcopalium Canonibus generatim receptis adverſum & contrarium inveniatur.*

Jam ſi gradum faciamus ad inſpiciendum corpus ipſum *Tentaminis Theologici*, majori adhuc admirationi erit, qui fieri potuerit, ut talia me ſcribentem & profitentem, Romani Primatus hoſtibus adnumerarit Anonymus.

Principio I. Numero II. *Qui Petro dixit*, Tu es Petrus, &c. *&* Paſce oves meas: *idem ceteris Apoſtolis dixit*: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: Euntes ergo docete, &c. *Sicut ergo ex prioribus locis colligitur*, *ſucceſſorem Petri eſſe jure divino Primatem Eccleſiæ*, *habereque immediate a Chriſto præfecturam & adminiſtrationem ſuper Eccleſiam univerſam: ita ex locis aliis confici debet*, *ſucceſſores Apoſtolorum jure divino eſſe Paſtores & Rectores ſuarum Diœceſium*, &c.

Principio I. Num. III. *Sicut dicens Petro*, Tu es Petrus, *&* Paſce oves meas; *ſucceſſores Petri*, *qui Romani Pontifices ſunt*, *Chriſtus conſtituit Paſtores univerſalis Eccleſiæ*, *ſalvis omnino Juribus Epiſcoporum: ita cum dixit Apoſtolis*: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos; *ſucceſſores Apoſtolorum*, *qui ſunt Epiſcopi*, *idem creavit Paſtores cujuſque Eccleſiæ particularis*, *ſalvo etiam Primatu Papæ*, &c.

Principio I. Numero IV. ex ſententia omnium antiquorum Patrum adfirmo: *ad Petrum ſingulariter orationem ſuam Chriſtum propterea convertiſſe*, *cum ei dixit*, Paſce oves meas; *non quod unum illum conſtitutum vellet Paſtorem*; *ſed ut omnes intelligeremus*, *tot Greges & Paſtores*, *quot componunt Eccleſiam*, *ſic Petro tamquam capiti vel centro Catholicæ unitatis ſubdi & cohærere debere*;

bere ; ut tam multæ Diœceſes, tam multi Epiſcopi, una illa eſſe Eccleſia monſtraretur.

Da unum aliquem *Lutherum*, vel *Calvinum*, vel *Marcum Antonium de Dominis*, qui de auctoritate Romani Pontificis talia ac tanta profiteatur ; & me illis adnumerari, non moleſte feram.

Nec minus tamen illuſtre aut decretorium eſt, quod ſcripſi Principio v. Numero III. *His non oppugnabat* Cyprianus *Jura Romani Primatus, quæ ipſe tum in Libro de Unitate Eccleſiæ, tum aliis in Operibus egregie ex Scripturis demonſtraverat. Nec inficiabatur* Cyprianus, *unum & potiſſimum ex his Juribus eſſe, ut ad Petri ſucceſſorem pertineret cura & adminiſtratio totius Eccleſiæ, eidemque ſuprema auctoritas ineſſet ad imperandam fidem & obſervationem omnium illarum rerum cum ad dogma, tum ad diſciplinam ſpectantium, in quas capiti ſuo adhærens jam legitime & ſollemniter conſpiraſſet totum corpus Epiſcoporum.*

Eodem Principio v. Numero XIII. agnovi & amplexus ſum *celeberrimum atque ineluctabile Decretum Generalis Synodi Florentinæ de Primatu Summi Pontificis, deque plena poteſtate ipſi in Beato Petro a Chriſto tradita paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam*. Numero vero XVI. pro comperto poſui, *Romanos Pontifices jure divino ceteris anteferri oportere*. Et paullo poſt, *Singuli Fideles pro ſchiſmaticis habendi erunt, ſi ſuperiorem ſibi non agnoſcant Petri Succeſſorem*. Denique Numero XXXVI. pariter agnovi & amplexus ſum Definitionem Generalis Concilii Conſtantienſis & Martini Papæ V. qui huic *Joannis Wiclephi* Articulo, *Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias*, ſequentem appoſuit notam: *Error eſt, ſi per Romanam Eccleſiam intelligat Univerſalem Eccleſiam aut Concilium Generale, aut pro quanto negaret Primatum Summi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares.*

Ex quibus illud elucet, egregie etiam in eo mentiri Romanum Anonymum, dum adſerit, Romanæ meæ Eccleſiæ eam prærogativam & excellentiam invidiſſe, qua illa ceteris aliis Eccleſiis præfertur a Conſtantien-

ſi Concilio, & a tota antiquitate Chriſtiana. Quo & illud ſpectat a me ſcriptum Principio v. Numero VIII. *Tota antiquitas pro comperto habuit, Romanam Eccleſiam eſſe primam, eſſe præcipuam, eſſe ſupremam inter omnes alias particulares Eccleſias*. Et illud in concluſione Principiorum Numero XI. *Unum eundemque fuiſſe, qui eoſdem Apoſtolos & inter ſe fratres, & unius ejuſdemque conſortes fecerit poteſtatis, licet aliter a Petro, aliter a ceteris exercenda*. Et numero XIII. *Sedem Apoſtolicam centrum eſſe Catholicæ unitatis, ſecundum illud magni* Cypriani *in epiſtula ad* Cornelium: Navigare audent ad Eccleſiam principalem, unde unitas ſacerdotalis exorta eſt.

Theologico Tentamini præclaras quoque vindicias hac in re ſubminiſtrat ejus *Appendix*: quæ in Illuſtratione Dedicationis hæc tempeſtive admodum obſervat Numero VII. *Tertio animadvertendum eſt: nihil hanc doctrinam commune habere cum doctrina* Marci Antonii de Dominis *Archiepiſcopi Spalatenſis in Dalmatia, quam ſuperiori ſæculo confixit Sacra Facultas Pariſienſis. Nam doctrina* Marci Antonii *eadem erat, ac doctrina* Joannis Huſſii: *nempe quod in Eccleſia eſſet unum caput viſibile, quod omnibus ſupereminerét auctoritate & regimine; id merum hominum inventum eſſe, cujus nullum fundamentum invenitur in Scripturis, vel traditione veterum Patrum.*

Deſcriptis deinde variis *Marci Antonii* teſtimoniis, in quibus ille docet: *Romanam Eccleſiam ex aliis capitibus extra jus divinum habere, ut ſemper reputata ſit Eccleſia principalis: Eſſe illam Eccleſiam præcipuam nobilitate, exiſtimatione, nomine, & dignitatis auctoritate; non regiminis & juriſdictionis principatu: Falſum eſſe unionem Catholicæ Eccleſiæ in unitate Rectoris viſibilis conſiſtere: Nullis revera ſolidis fundamentis inniti ſupremum Eccleſiæ Romanæ Primatum, ipſiuſque ſupra ceteras omnes Eccleſias imperium*. Poſtquam hæc, inquam, aliaque, id genus teſtimonia e Spalatenſis Libris *De Republica Eccleſiaſtica* deſcripta ſunt, præclare in rem noſtram pergit Appendix mea: *Has propoſitiones hæreticas, erroneas, & ſchiſmaticas declararunt Doctores Pariſienſes anno* MDCXVIII. *Et merito quidem tales declararunt. Nam*

tum

tum ex ſcriptura, tum ex Traditione, patentiſſimum dogma eſt, in perſona Petri inſtitutum fuiſſe a Chriſto perpetuum Eccleſiæ ſuæ caput viſibile, quod in rebus tum Fidei tum diſciplinæ, omnibus Epiſcopis præemineret auctoritate & juriſdictione, qualis inter Apoſtolos Petrus fuerat.

Rurſus paullo poſt: *Dogma Catholicum eſt, Antiſtiti ei, cujus Epiſcopatui ſit Primatus adnexus, tamquam capiti ſuo debere Fideles omnes reverentiam & obedientiam impendere: & ex eo quod ipſe Antiſtes caput viſibile ſit Eccleſiæ, ei jure divino dicto audientes eſſe debere omnes fideles.*

Neſcio ſane, quid illuſtrius, validiuſve ad revincendum Anonymum proferri aut deſiderari poſſet, quam teſtimonia proxime laudata. Neque dubito, ſpeciali Dei providentia factum eſſe, ut anno integro, antequam ad Luſitaniam perlatus eſſet Libellus Anonymi: Oliſipone excuderetur & evulgaretur *Appendix Tentaminis Theologici*, calumnias in *Tentamen* ipſum Romæ excudendas & evulgandas feliciſſime præoccupatura & ſuffocatura.

Conſilio etiam plane divino factum eſſe credo, ut eodem tempore typis committerem *Tentamen Theologicum* Latinitate donatum, & Notis illuſtratum. In cujus Principio v. Numero xx. longam hanc & maximi momenti Notam ſubjunxi: *Cum audis Eccleſiam, quæ in fidelium univerſitate conſiſtit, dominam eſſe clavium ſpiritualis poteſtatis: cave horum Theologorum doctrinam confundas cum doctrina Queſnelliana Propoſitionis* XC. *ubi in conſortium juriſdictionis a Chriſto inſtitutæ* Matthæi XVIII. *ipſis Paſtoribus conjunguntur & laici. Nam toto cælo diſtat a doctrina Queſnello attributa doctrina Sacræ Facultatis Pariſienſis, totiuſque Eccleſiæ Gallicanæ, quam hic tuemur. Queſnellus enim ejuſque diſcipuli illud* Dic Eccleſiæ, *ſic de tota fidelium univerſitate intelligere dicuntur, ut velint ad excommunicationem ferendam opus eſſe conſenſu ſaltem tacito ipſius multitudinis; quaſi ipſa juriſdictio ejuſque exercitium pro foro exteriori non minus ſpectet ad laicos, quam ad Epiſcopos & Sacerdotes. Contra* Pariſienſes Auguſtinum, *totamque antiquitatem ſecuti docent, Eccleſiæ quidem ex omnibus fidelibus conſtanti da-*

tas eſſe a Chriſto claves; ſed ita pro omnibus & in omnes datas, ut jus ipſum & exercitium illius poteſtatis formaliter non reſideat niſi penes corpus Paſtorum, quos inter eminet Romanus Pontifex, ſicut inter Apoſtolos eminebat Petrus, &c.

Heic lectores monitos volo, conſulto me in hac Nota ſcripſiſſe, *doctrina* Queſnello *adtributa*: & rurſus, Queſnellus *ejuſque diſcipuli illud intelligere dicuntur*. Quoniam nihil mea tunc intererat, neque nunc intereſt definire, quænam revera *Queſnelli* mens ac doctrina fuerit; ſed quamnam ei adtribuerint ii, qui Librum ejus damnandum curarunt.

Satis autem ſuperque oſtendit illa Nota, longiſſime abeſſe me a monſtroſa illa doctrina, quam mihi adfingit Romanus Anonymus, de judiciali poteſtate Chriſtianæ plebeculæ cum ſummis ipſis Paſtoribus communi. Quem errorem nequis mihi imputaret, diligenter ego jam inde a prima editione *Tentaminis Theologici* præmonueram Principio v. Numero xvi. *ſubjectum proximum totius poteſtatis ſpiritualis a Chriſto inſtitutæ, eſſe totum Corpus Hierarchicum Eccleſiæ, quæ tunc temporis ex S. Petro, ceteriſque Apoſtolis ac Diſcipulis conſtabat; nunc autem ex Summo Pontifice, Epiſcopis, ceteriſque Miniſtris Eccleſiaſticam Hierarchiam conſtituentibus conſtat.* Et Numero xvii. *Poteſtatem ligandi ac ſolvendi (quæ ipſa eſt clavium poteſtas) a Chriſto potiſſimum eſſe collatam Corpori Apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum; qui ut nobiliorem Eccleſiæ partem conſtituunt, ita etiam ab iis maxime denominatur Eccleſia.*

Poſtremum illud de *Richeriano* ſyſtemate mihi probato, deque Eccleſiaſtico regimine non pure Monarchico, ſed Ariſtocratia temperato; quoniam operoſiorem diſcuſſionem deſiderat, commodiori & opportuniori loco reſervamus.

CAPUT III.

Explicantur & confirmantur certa loca Tentaminis Theologici, *quibus Anonymus Romanus dicit oppugnari a me Primatum Romani Pontificis.*

EX *omnium Theologorum ſententia, Apoſtolorum omnium poteſtas eadem omnino fuit, & æqualis, & æque univerſalis, ac poteſtas Petri, & quidem illæſo Primatus jure, De ea re teſtimonia* Cypriani, Joannis de Pariſiis, Nicolai de Cuſa, Franciſci de Victoria, Dominici Soti, Petri de Marca, Ludovici Thomaſſini, Cleri Gallicani, Ludovici Eliæ Dupini, *& ipſius etiam* Roberti Bellarmini.

A ſolo jure Eccleſiaſtico eſt, quod cuilibet Epiſcopo certa ac determinata Diœceſis adſignata fuerit. Ex Durando a S. Portiano, Nicolao de Cuſa, Jacobo Almaino, Alphonſo de Caſtro, & Pariſienſi Facultate.

Hæc Diœceſium diviſio ac diſtributio de communi Apoſtolorum conſilio, non de unius Petri arbitrio fuit inſtituta. Ex Cardinale Cuſano *& Illuſtriſſimo* Boſſueto.

Secluſa lege vel reſervatione in contrarium, ſuprema ex ſeſe, abſoluta, & illimitata eſt auctoritas Epiſcoporum reſpectu ſingularum Diœceſium. Ex S. Cypriano, Guillelmo Pariſienſi, Franciſco de Victoria, Ludovico Thomaſino, Abbate Fleurio, *&* Realio.

Hinc profectum Axioma illud, omnium fere Theologorum conſenſu celebratum: Quidquid poteſt Papa in tota Eccleſia, poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi, niſi major auctoritas obſtet. *Ex S.* Thoma, Toſtato Abulenſi *Epiſcopo*, Joanne de Pariſiis, Franciſco de Victoria, Thoma Sancio, Jacobo Sambovio.

Quod Axioma tamen, ut omnis fucus abſit, ita nobis emendari placet, ut Plus in ſua Diœceſi poſſit Epiſcopus, quam pro tota Eccleſia Romanus Pontifex.

Quam non pugnet tota hac doctrina cum Primatu Petri & Summorum Pontificum, & cum ſubordinatione Apoſtolorum & Epiſcoporum.

Obje-

OBjicit Romanus Anonymus, & quaſi triumphans per ora populi Chriſtiani ad invidiam traducit primum Principium a me ſtabilitum, quod ſic habet: *Juriſdictio Epiſcopalis in ſemet ſpectata, hoc eſt, in ſua inſtitutione a Chriſto facta, præſciſſiſque vel lege, vel conſuetudine, vel reſervatione in contrarium; Juriſdictio quædam eſt abſoluta, & quæ nullos limites habeat, reſpectu ſingularum Diœceſium*. Hinc illud conſequi vociferatur, quod toto deinde Libro invidioſe exaggerat: nempe *jure divino nullum diſcrimen eſſe inter Petrum & reliquos Apoſtolos; ſolaque humana inſtitutione Petri ſucceſſori ſubordinari Epiſcopos*.

At præ triumphi gloria & pompa non vidit valentiſſimus novorum hæreticorum debellator, primum de multorum & magnorum Theologorum ſententia parem, & æque univerſalem ceterorum Apoſtolorum cum Petro auctoritatem, cum ipſa Petri ſupra reliquos omnes prærogativa optime potuiſſe conſiſtere, & revera conſtitiſſe. Deinde quod dixi, *Juriſdictionem Epiſcopalem in ſemet ſpectatam, & ſecluſa lege vel reſervatione in contrarium; juriſdictionem quandam eſſe abſolutam & illimitatam reſpectu ſingularum Diœceſium*: id cum ex ipſo verborum tenore, cum ex contextu probationum nihil aliud ſignificare, quam quod ſpectata præciſe natura & inſtitutione Epiſcopatus, nulla altiori poteſtate indigeant Epiſcopi ſinguli ad hoc, ut in ſua Diœceſi omnes illas functiones exerceant, quæ neceſſariæ ſunt ad unamquamque Diœceſim plene & perfecte adminiſtrandam. Hoc eſt, quod ex vi poteſtatis charactere ſuo a Chriſto adnexæ, omnia illa intra ſuam Diœceſim peragere poſſint Epiſcopi; quæ toto orbe peragebant Apoſtoli & ipſe S.Petrus, ſive illa ordinis ſint, ſive juriſdictionis: nempe ordinare, confirmare, Sacramenta omnia adminiſtrare, Eccleſiaſticam Diſciplinam moderari, leges ferre, in eis diſpenſare, contumaces excommunicatione plectere, Epiſcopos creare, Diœceſes inſtituere, & cetera hujuſmodi. Quod denique a ſolo Eccleſiaſtico jure ſit, quod uſus & exercitium poteſtatis hujus reſtringeretur ad certa loca, certos caſus, certos ſubditos.

Qua

Qua ratione autem id, quod in ſua inſtitutione & origine nullis limitibus erat a Chriſto circumſcriptum, coarctari poſtea humanis legibus potuerit; in ſecunda Diſſertatione commodius tractabimus.

Docent igitur quamplurimi, iique nobiliſſimi Theologi, excepto Primatu nulla re alia ceteris Apoſtolis majorem fuiſſe Petrum. Excepta item univerſalitate Epiſcopatus pro toto orbe, ceteræ omnis poteſtatis a Chriſto Apoſtolis collatæ ſucceſſores in ſolidum & ex aſſe exiſtere Epiſcopos jure divino, quamvis ſub ſucceſſore Petri exercendæ. Quod non eo pertinet, ut nihil ſacrorum miniſteriorum facere poſſent vel Apoſtoli vel Epiſcopi, niſi quod illis vel expreſſo vel tacito conſenſu ſuo permiſiſſet Petrus aut ſucceſſor Petri, quod delirium fuit *Joannis de Turrecremata* & *Petri Paludani*. Hoc enim modo unus Petrus dicendus eſſet Epiſcopus conſtitutus a Chriſto: quod Evangelicis teſtimoniis omnino repugnat. Sed quod in exercitio poteſtatis omnibus a Chriſto donatæ, Petrum tamquam caput Apoſtolici Collegii ſuſpicere, cum eoque tamquam cum centro Catholicæ unitatis communionem ambire & conſervare ſinguli deberent.

Ac de Apoſtolis quidem celeberrimus locus eſt *Cypriani* in Libro *de Unitate Eccleſiæ*, quem *Gratianus* quoque Decreto ſuo inſeruit XXIV. q. I. *Loquitur Dominus ad Petrum*: Ego tibi dico, quia tu es Petrus, &c. *Et iterum eidem poſt reſurrectionem ſuam dixit*, Paſce oves meas. *Super illum unum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oves ſuas. Et quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat & dicat*, Sicut miſit me Pater; & ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum, &c. *tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique & ceteri Apoſtoli quod fuit Petrus, pari conſortio prædici & honoris & poteſtatis: ſed exordium ab unitate proficiſcitur, & Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia & Cathedra una monſtretur. Et Paſtores ſunt multi, & grex unus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus unanimi conſenſione paſcatur, & Eccleſia Chriſti una monſtretur.*

Lo-

Locum quantumvis longiorem, integrum proferre volui: ut intelligerent lectores mei, *Cyprianum* ſicut ab illis verbis Chriſti, *Tu es Petrus* & *Paſce oves meas*, Primatum & excellentiam Petri ſupra reliquos Apoſtolos probavit: ita ex aliis Chriſti verbis, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, abſolutam, & plenam, & cum ipſo Petro æqualem, & æque univerſalem poteſtatem in aliis Apoſtolis agnoviſſe, ſalva omnino ipſa prærogativa Petri.

Stephanus Baluzius in Scholiis ad hunc locum *Cypriani* monet, verba illa *& Primatus Petro datur*, non inveniri in duobus codicibus, Veronenſi & Segueriano, & in ſeptem aliis Vaticanis: abeſſe quoque a Decreto Gratiani: contenditque cum *Latino Latinio*, non eſſe illa a manu *Cypriani*; ſed marginibus librorum primum adſcripta a ſciolis lectoribus, ut *Cypriano* probatum indicarent Primatum, poſtea in contextum irrepſiſſe.

Quoquo modo ſe res habeat, negari non poteſt, lectionem illam eſſe antiquiſſimam in codicibus *Cypriani*, & quinto jam ſæculo agnitam a Pelagio II. in epiſtola ad Epiſcopos Iſtriæ. Et ſive illa ſit a *Cypriano*, ſive a librariis; probari ex toto contextu *Cypriani*, de ejus ſententia optime cum Primatu Petri poſſe conſiſtere, quod ceteris Apoſtolis pleniſſima eadem & univerſalis auctoritas fuerit conceſſa: quod vel ipſum agnoviſſe *Bellarminum* infra conſtabit.

Cypriano duce eandem doctrinam miro conſenſu tradunt optimi quique Theologi. *Joannes de Pariſiis* in Libro *de Auctoritate Regia & Papali*, Capite x. *In collatione hujuſmodi poteſtatis Chriſtus non poſuit aliquam reſtrictionem reſpectu aliorum a Petro: licet ex modo loquendi appareat, quod vellet Petrum Eccleſiæ principaliorem, & caput Eccleſiæ eſſe propter unitatem conſervandam. Et intelligendum eſt ita ſe habere, quod in Apoſtolis tunc quidquid potuit unus, ſicut Petrus, potuit & alius.*

Nicolaus de Cuſa Libro II. *de Concordantia Catholica*, capite 13. (a) *Scimus quod Petrus nihil plus poteſtatis*

(a) *Cuſa* pag. 726. Baſil. 1565.

tis a Chriſto recepit aliis Apoſtolis. Nihil enim dictum eſt ad Petrum, quod etiam aliis dictum non ſit ... Ideo recte dicimus omnes Apoſtolos in poteſtate cum Petro æquales. Inſuper eſt ad memoriam reducendum, quod in principio Eccleſiæ fuit unus tantum Epiſcopatus generalis, abſque diſtinctione Diœceſium per orbem diffuſus.

Franciſcus de Victoria Relectione 11. *de Poteſtate Eccleſiæ*, poſtquam dixiſſet Numero 9. (a) *Pro certo mihi videtur pronuntiandum & tenendum, Apoſtolos omnes accepiſſe utramque poteſtatem a Chriſto:* hæc e veſtigio ſcribit Numero 10. *Sed ſupereſt dubium, an æqualem acceperint cum Petro? nam hæc etiam quæſtio in utramque partem habet aſſertores. Sed quia ad majora feſtinanti non vacat utriuſque partis fundamenta tradere; pro ſententia quam veriorem puto, pono concluſionem. Apoſtoli omnes habuerunt æqualem poteſtatem cum Petro. Quod ſic intelligo, quod quilibet Apoſtolorum habuit poteſtatem Eccleſiaſticam in toto orbe & ad omnes actus, ad quos Petrus habuit. Non tamen loquor de illis actibus, qui ſpectant ad ſolum Summum Pontificem, ut eſt congregatio generalis Concilii.* Audin', excepta ratione Capitis & Præſidis, *æqualem poteſtatem cum Petro habuiſſe* omnes Apoſtolos: nempe poteſtatem *in toto orbe, & ad omnes actus, ad quos Petrus habuit?*

Audi nunc & probationes, ut in his quoque *Tentamini Theologico* ſuffragetur laudatiſſimus Dominicanus. *Hæc*, inquit, *probatur quoad primam partem ex loco jam citato* Matth. ult. Euntes in mundum univerſum, &c. *Et ſine exceptione* Matth. 18. Quæcumque ſolveritis, &c. *Et* Joan. 20. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. *Chriſtus autem miſſus fuerat in totum orbem: ergo & in totum orbem ipſe miſit Apoſtolos. Secunda vero pars, quod ad omnes actus, videtur poſſe probari ex eo, quod ut dictum eſt, auctoritas gubernandi eſt de ratione Apoſtolatus: & non videtur quod ſit limitata, quia nulla ratione diceretur quod ſe extendat ad certos actus, & non ad alios. Sed potius probatur ex geſtis Apoſtolorum ipſorum, qui ubique terrarum conſtituebant Eccleſias, & Epiſcopos, & leges*

(a) *Victoria* pag. 85. Lugd. 1587.

leges ferebant pro poteſtate: nec apparet quid Petrus poſſet, dimiſſis iis, quæ ad ſolum Pontificem attinent, quod non & alii. Et Paulus ad Gal. 1. & 2. ſatis defendit, ſe parem poteſtatem cum Petro habere. Hæc eſt ſententia Cypriani *in Epiſtola de Unitate Eccleſiæ ad Novatianum, & habetur 74. queſt.* 1. Hoc utique erant ceteri Apoſtoli, quod Petrus, pari conſortio præditi honoris & poteſtatis. *Nec audienda eſt Gloſſa dicens, hoc debere intelligi in ordine & dignitate conſecrationis, non in poteſtatis plenitudine, ut patere poteſt ipſam Epiſtulam* Cypriani *legenti*.

Nil præclarius vel abſolutius dici poterat, ut conſtaret omnibus, cum in concluſione, tum in ejus fundamentis mihi præiviſſe Theologum doctiſſimum, communem ſæculo decimo ſexto Hiſpaniarum Magiſtrum.

Nequis vero ſuperius poſita concluſione ſuſpicaretur, derogari aliquid a *Victoria* de dignitate vel excellentia Petri præ aliis Apoſtolis: alteram hanc ille conſtituit Numero 11. *Licet alii Apoſtoli habuerint æqualem poteſtatem cum Petro ad ſenſum ſupra poſitum; tamen poteſtas Petri erat eminentior. Primo, quia poteſtas Petri fuit ordinaria: Apoſtolorum autem extraordinaria. Secundo, quæ ſequitur ex hac, poteſtas Petri erat perſeveratura in Eccleſia, non autem aliorum. Tertio, aliorum poteſtas nec ſupra Petrum erat, nec ſupra ſe invicem: Petri autem ſupra omnes alios. Quarto, aliorum poteſtas ſubordinata fuit auctoritati Petri: prævaluiſſet enim auctoritas Petri contra auctoritatem aliorum*.

Heic monendi lectores, cum *Victoria* Apoſtolorum poteſtatem dicit fuiſſe extraordinariam, adeoque non perſeveraturam in Eccleſia; id intelligendum eſſe pro ea tantum parte, qua Apoſtolorum poteſtas erat pro toto orbe; non vero qua ad omnes actus ſe extendebat. Hoc enim ſenſu Apoſtolorum poteſtatem fuiſſe ordinariam, & ad ſucceſſores tranſmittendam, *Victoria* aliis in locis profitetur, quæ infra deſcribemus.

Dominicus Sotus in IV. Sent. diſt. XX. q. 1. art. 2. concl. 4. ſcribit in hunc modum: (a) *Cum utraque pleniſſi-*

(a) *Sotus* pag. 548. Lovan. 1573.

niſſima juriſdictio de eſſentia ſit Apoſtolici muneris; utramque a Chriſto omnes Apoſtoli immediate ſuſceperunt, adeoque unuſquiſque erat per Chriſtum Epiſcopus univerſi orbis, &c. Et poſt pauca: *Omnibus ampliſſimam dedit juriſdictionem* Matth. 18. *Quo fit, ut in munere Apoſtolico omnes fuerint æquales Petro: niſi quod Petrus tamquam Eccleſiæ caput erat eorum Præſes, ut Concilium convocaret, ut Act.* 15. *legitur, & alia obiret Præſidentis officia*. Et inferius: *Hoc Petrus habuit ſingulare tamquam caput, quod ceteris data eſt poteſtas tantum perſonalis, non tamen ſucceſſura in alios, niſi per auctoritatem Petri. Nam etſi Epiſcopi ſucceſſores Apoſtolorum dicantur, illam tamen auctoritatem non ſuſcipiunt, niſi per Romanum Pontificem Petri ſucceſſorem*.

Poſtrema hæc videtur *Sotus* deſumpſiſſe e penu *Turrecrematæ* & *Cajetani*: in quibus tamen a doctrina ille Magiſtri ſui recedit. *Victoria* enim poſtquam Numero 27. hanc Theſim propoſuiſſet: *Quilibet aliorum Apoſtolorum a Petro potuit relinquere ſucceſſorem, licet non univerſalem, ſaltem in quacumque Provincia, qui eſſet verus Epiſcopus illius Provinciæ*: hæc monet e veſtigio. *Hanc propoſitionem ſcio non placituram omnibus Doctoribus tum Theologis, tum Juriſconſultis; quæ nec ipſis* Cardinalibus Turrecrematæ *&* Cajetano *placeret. Omnes enim illa perſuaſio ſimul invaſit, omnem poteſtatem juriſdictionis ita dependere a Romano Pontifice, ut nullus poſſit habere vel minimam quidem ſpiritualem poteſtatem, niſi ex mandato vel lege ipſius, &c. Sed probo primo hanc propoſitionem aperte*, &c. Utrolibet autem in ſenſu verba illa *Soti* poſtrema accipiantur, nihil ad nos pertinet: qui illud dumtaxat in præſentia demonſtrandum ſuſcepimus, Apoſtolorum poteſtatem fuiſſe univerſalem & æqualem poteſtati Petri, quin univerſalitate & æqualitate illa peſſundaretur Primatus Petri.

Petrus de Marca in Diſſertatione *de Singulari Primatu Petri*, (quam juſſu Innocentii X. compoſitam, & idem Pontifici maxime probatam teſtatur *Baluzius* Numero IV. hæc docet: (a) *Itaque nulla reperiri poteſt in Pe-*

(a) *Marca* pag. 57. Pariſ. 1681.

Petro præ ceteris prærogativa, *quod attinet ad prædicationis vel Sacerdotii munus*, *nec etiam quoad poteſtatem Eccleſiarum conſtituendarum*, *nempe præficiendo illis Epiſcopos & Presbyteros*, *vel etiam in eos monitionibus & cenſura divina*, *ut loquitur* Tertullianus, *animadvertendo*. Et mox Numero v. *Quod erit ergo jus eximium Petri? Anne ut de perſona ipſa Apoſtolorum judicium ferat? Sed eorum ſtatus*, *qui ſumma erant præditi poteſtate*, *& a fide deficere a Deo eruditi non poterant*, *a supremæ in Petro juriſdictionis uſu eos eximebat*. *Attamen majeſtatem ejus*, *ut capitis a Chriſto conſtituti*, *duobus præcipue modis colere debebant*: Numero vi. *Primus modus colendæ in Petro Primatus dignitatis verſabatur in communione cum capite retinenda*, &c. Num. vii. *Secundus modus colendi Primatus is erat*, *ut cauſas communes ad univerſalis Eccleſiæ diſciplinam pertinentes*, *Apoſtoli ad eum tamquam ad Collegii & Eccleſiæ Principem diſcutiendas referrent*, &c.

Vides heic Romano Pontifice probante, & plaudente doceri a *Marca*: *quoad poteſtatem Eccleſiarum conſtituendarum & regendarum*, *nullam in Petro prærogativam reperiri poſſe præ ceteris Apoſtolis*. Ut ſumma præditos poteſtate, & in gratia confirmatos, *exemptos fuiſſe a ſupremæ in Petro juriſdictionis uſu*. In ſola neceſſitate *communionem cum capite retinendi*, *ad eumque tamquam ad Collegii & Eccleſiæ Principem communes cauſas univerſalis Eccleſiæ referendi*, Petri præ reliquis Apoſtolis prærogativam Primatuſque majeſtatem emicuiſſe.

Enucleatius adhuc & ad rem noſtram propius loquitur idem *Petrus de Marca* in Diſſertatione altera *de Forma regiminis a Chriſto inſtituta in Eccleſia*. (a) Sic enim ſcribit Num. ii. *Chriſtus Dominus noſter Apoſtolis omnibus & ſingulis in ſolidum Eccleſiam ſuam fundandam*, *docendam*, *& regendam commiſit*; *ea tamen lege adjecta*, *ut Petrus inter eos Primatum gereret*, *& caput eſſet Collegii illius Apoſtolici*; *eo fine ſcilicet*, *ut præter communem cum aliis curam*, *unitatis conſervandæ in exercendo regimine ſollicitudo præcipue & ſpecialiter illi competeret*, &c.

Et

(a) *Marca* ibid. pag. 103.

Et Numero III. (a) *Ceteri quippe Apoſtoli ſic una poteſtate inſtructi ſunt in ſolidum, ut ejus inter ſe diviſionem faciendam & verbis Domini, & ex operis mandati natura non ignorarent. Præceperat Chriſtus ut irent ipſi, & univerſi orbis homines perſonaliter inſtituerent. Porro cum ſinguli terras omnes peragrare non poſſent, executio mandati diviſione Provinciarum inter ſe facta illis aggredienda erat. Quæ tamen partitio non impediebat, quin ſolidum jus adminiſtrationis penes unumquemque remaneret. Illo vero uti poterant etiam in alienis Provinciis, ſi aut proprii Apoſtoli abſentia, aut Eccleſiæ utilitas eam curam expoſceret*, &c.

Et Num. V. (b) *Antequam vero auctoritas illa ad regimen perpetuum Eccleſiæ proponatur, diſtinguenda ſunt privilegia perſonalia Apoſtolis conceſſa, quæ illorum morte extincta ſunt, a poteſtate reali, quæ in ſucceſſores eorum manavit. Hæc privilegia in eo verſabantur, quod Apoſtoli a Chriſto ipſo in Collegium allecti erant, excepto Mathia: quod teſtes fuerunt eorum quæ docuit, & mirabilium rerum quas patravit; quod a Spiritu Sancto in veræ fidei profeſſione erudíti, nec fallere nec falli poterant in docendis populis tum verbo tum ſcripto. Quartam quæ adhiberi ſolet notam, de prædicando per univerſum orbem Evangelio, inferius diſcutiendam remitto.*

Et mox Numero VI. (c) *His demptis, reliqua omnis quæ Apoſtolis collata eſt a Chriſto auctoritas, ut penitus neceſſaria eſt ad Eccleſiæ continuum regimen, ita in ſucceſſores Apoſtolorum univerſa pertranſiit*, &c.

Idem Numero IX. (d) *Hic quæri poteſt, an ſaltem in mittendis Apoſtolis jus aliquod ex vi Primatus Petro competeret. Quod in eam incidit diſcuſſionem, quam nos facturos monuimus: an jus per univerſum orbem prædicandi, quod Apoſtolis collatum fuit, ſit privilegium perſonale, an vero ſit poteſtas realis. Omnibus perſuaſum video, hanc poteſtatem in Petro fuiſſe ordinariam, quæ tranſeat in ſucceſſo-*

(a) Ibid. pag. 104.
(b) Ibid. pag. 105.
(c) Ibid. pag. 106.
(d) Ibid. pag. 110.

ceſſores; in aliis vero Apoſtolis fuiſſe extraordinariam ſive delegatam, quæ morte illorum extincta fuerit. Quæ diſtinctio poteſtatis extraordinariæ & ordinariæ cum nullo Scripturæ fundamento nitatur, imo vero diſertis illius verbis repugnet, quæ de omnibus in commune Apoſtolis loquitur: nos ut puto, veriorem & faciliorem inſiſtemus viam in hac difficultate ſolvenda. Exiſtimamus ergo poteſtatem docendi per univerſum orbem toti Apoſtolorum Collegio conceſſam, & ſingulis e Collegio. Quatenus univerſitati competit, remanſit in Eccleſia penes Epiſcoporum Collegium, & præcipue penes Collegii Præſidem. Quatenus autem ſingulis Apoſtolis erat data, eorum morte extincta fuit.

Et Numero XXI. (a) *Pares quidem in ceteris erant Petro, ſed in retinenda unitate eum reſpicere debebant, ut totius Collegii caput & rectorem unitatis.* Et paullo poſt Numero XXII. *Porro hæc capitis auctoritas non impediebat, quin ex æquo ſuper omnes Apoſtolos Eccleſiæ fortitudo ſolidata eſſet, ut obſervat* Hieronymus.

Denique Numero XXIV. (b) *Pares erant in conſortio ejuſdem poteſtatis, tum in fundandis Eccleſiis, tum in iis erudiendis atque regendis.* Et poſt alia: *Id ſolum ſupererat Petro collato cum Apoſtolis, quod eſſet caput unitatis.*

Hæc in Gallia ſcribebat *Marca* vigeſimo anno, quam ſuam in *Marcum Antonium de Dominis* cenſuram publicarat Sorbona. Summa omnium eſt: Chriſtum Dominum omnibus & ſingulis Apoſtolis in ſolidum fundandam & regendam commiſiſſe Eccleſiam ſuam: omnes proinde & ſingulos Epiſcopos fuiſſe ſuo modo univerſales; uno eo inferiores & ſubordinatos Petro, quod huic ſpecialius demandata fuit cura totius Eccleſiæ, cum eoque ut capite communionem colere ac retinere omnes debebant. Dempta hac locali univerſalitate, ceteram omnem auctoritatem qua gaudebant Apoſtoli, in Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores jure divino fuiſ-

ſe

(a) Ibid. pag. 126.
(b) Ibid. pag. 129. & 130.

Digitized by Google

ſe tranſmiſſam. Judice ergo *Marca*, extenſive ſolum, non vero intenſive major Apoſtolorum auctoritas eſt, quam Epiſcoporum, ſalva ſemper prærogativa Petri.

Ab hac doctrina nihil in Libris *de Concordia Sacerdotii & Imperii* deſcivit *Marca* (a). Qui ut Libro III. cap. VI. numer. VI. docet, Jure tantum Eccleſiaſtico reſtrictam fuiſſe poteſtatem Epiſcoporum, ac proinde in caſu gravis neceſſitatis, (veluti *ſi Romanæ Sedis vacatio per multos annos protraheretur, aut ſecure Romanus Pontifex adiri non poſſet*;) poſſe ab Epiſcopis *jure divino aut antiquo illo Eccleſiaſtico adminiſtrari Eccleſiam*: ita magnam partem Libri VII. inſumit in demonſtranda maxima illa auctoritate, qua graviſſima quoque negotia tractare ſolebant veteres Epiſcopi, præſertim in Synodos collecti. Itaque capiti ſecundo pro argumento adſcribit *Supremam Conciliorum Provincialium in deponendis Epiſcopis auctoritatem*: capiti quinto *Suprema Conciliorum Orientalium judicia eorumque independentiam a Pontifice Romano*.

Ludovico Thomaſſino nemo, opinor, in tota Gallia extremis hiſce temporibus extitit, qui Sedis Apoſtolicæ majeſtatem ac dignitatem vel impenſius coluerit, vel frequentius prædicarit: adeo ut notatus a ſuis ille fuerit non ſemel, veluti qui Ultramontanis placitis vehementius, quam decebat Gallum, addictus videretur. Et is tamen vir, Pontificiæ auctoritatis amplificandæ tam amans, tam ſtudioſus; ubi de Apoſtolorum vel Epiſcoporum poteſtate agit, *illimitatam*, *abſolutam*, *ſupremam*, *infinitam*, *immenſam* paſſim vocat. Loca quædam ex multis ſeligam, plura alio in loco daturus.

Parte I. *De Veteri, & nova Diſciplina circa Beneficia*, Libro I. cap. I. numero VIII. (b) *Non erant limites præfigendi eorum poteſtati & juriſdictioni, quorum zelus & caritas ultra limites efferebatur*. Et numero IX. *Produxit illos ad ſacræ poteſtatis ſummum faſtigium, &* ad

(a) *Marca* pag. 91. & 382. & 390. edit. Roboret. 1763.
(b) *Thomaſſ.* Tom. I. pag. 2. & 5. Pariſ. 1691.

ad infinitam quandam Sacerdotalium functionum & regiminis Eccleſiaſtici opulentiam.

Capite II. Numero IV. *Quæ omnia ut in Presbytero certam & determinatam obnoxiamque poteſtatem denotant: ita in Epiſcopis abſolutam penitus oſtentant & interminatam*.

Capite VI. Numero IX. (a) *Convenit quippe Theologis & Canoniſtis, Apoſtolis infuſam a Chriſto plenitudinem poteſtatis ſpiritualis, cui limites præfigere nefas ſit ullos*.

Ibidem Numero XIX. (b) *Dotatos a Chriſto fuiſſe Apoſtolos poteſtate Sacerdotali quadam infinita & prorſus pari*.

Lib. II. cap. LIX. Numero IV. (c) *Quaſi in hereditatem & ſucceſſionem adſciti eſſent Patriarchæ immenſæ illius poteſtatis, quam commiſit Chriſtus Apoſtolis, ac præſertim Petro*. Et poſt pauca rurſus: *Conducibile fuit, ut aliqua ſupereſſent veſtigia primigeniæ illius inſtitutionis Chriſti, quæ Apoſtolorum tam non ullos definiebat limites poteſtati, quam nec caritati*.

Conventus Generalis Cleri Gallicani quatuor & triginta Epiſcoporum Pariſiis congregatorum anno MDCLXXXII. in Litteris Encyclicis ad univerſum Clerum Gallicanum, quarum ſcriptorem fuiſſe conſtat magnum *Boſſuetum*: *Profitemur Illuſtriſſimi Præſules, quamvis* duodecim quos elegit Jeſus, & Apoſtolos nominavit, *ſic ad regendam in ſolidum ſuam Eccleſiam conſtituerit, ut eſſent pari, ſicut loquitur* S.Cyprianus, honoris & poteſtatis conſortio præditi; *Primatum tamen Petro divinitus fuiſſe conceſſum, quod & ab Evangelio diſcimus, & tota docet Eccleſiaſtica Traditio*. Audis, ex ſententia tot ac tantorum Epiſcoporum *omnibus Apoſtolis in ſolidum regendam Eccleſiam* a Chriſto commiſſam, nihilque Primatui Petri derogare, quod omnes *eſſent pari conſortio præditi honoris & poteſtatis*.

Id ipſum data opera oſtendit *Ludovicus Elias Dupinus*

(a) Ibid. pag. 22.
(b) Ibid. pag. 26.
(c) Ibid. pag. 415.

nus Diſſertatione IV. (a) quæ eſt *De Primatu Romani Pontificis*, §. 111. cujus titulus eſt : *Nihil obſtare Petri Primatui Apoſtolorum inter ſe æqualitatem*. Quam æqualitatem *Dupinus* in eo ponit, quod *Apoſtoli omnes eadem auctoritate, eadem poteſtate a Chriſto donati ſunt, illamque eodem modo quo Petrus exercuerunt ; nec quidquam aſſignari poteſt quod iſte fecerit, illi vero non fecerint*.

Tot Gallis & Hiſpanis Theologis ſuffragator tandem accedat *Robertus* ille *Bellarminus* (b), ad cujus ſenſum & normam exigi volunt Romani Cenſores, quidquid ad auctoritatem pertinet Summi Pontificis cum Epiſcopis comparati. Libro IV. *de Romano Pontifice* cap. 23. hæc habet Bellarminus : *Quod Apoſtoli acceperint a Chriſto immediate ſuam juriſdictionem, primum teſtantur verba Domini* Joan. 20. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. *Quem locum ſic exponunt Patres*, Chryſoſtomus *&* Theophylatus, *ut aperte dicant, factos eſſe his verbis Apoſtolos Chriſti Vicarios, imo ipſum Chriſti officium & auctoritatem accepiſſe*.

Addit Cyrillus *in hunc locum, his verbis proprie Apoſtolos creatos eſſe Apoſtolos, & orbis totius Doctores ; ut intelligeremus in Apoſtolica auctoritate contineri omnem poteſtatem Eccleſiaſticam : ideo adjeciſſe Chriſtum*, Sicut miſit me Pater ; *ſiquidem Pater Filium miſit ſumma poteſtate præditum*. Cyprianus *Lib. de Unit. Eccleſ.* Loquitur, *inquit*, Dominus ad Petrum, Tibi dabo claves regni cœlorum. Et eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit, Paſce oves meas. Et quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat : Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos : tamen ut unitatem manifeſtaret, unam cathedram conſtituit, &c. *Ubi vides idem dari Apoſtolis per illa verba*, Ego mitto vos, *quod Petro fuerat promiſſum per illud*, Tibi dabo claves : *& poſtea exhibitum per illud*, Paſce oves meas. *Conſtat autem per illa*, Tibi dabo claves,

(a) *Dupin.* pag. 317. & ſeq. Pariſ. 1686.
(b) *Bellarm.* tom. 1. pag. 430. Venet. 1721.

& per illud, Paſce oves meas, *intelligi juriſdictionem pleniſſimam, etiam exteriorem. Quomodo autem hæc non impediant Petri Primatum, alibi ſatis oſtendimus*. Hactenus *Bellarminus*.

Ex quibus habemus, verbis illis Chriſti, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, ex ſenſu omnium Patrum conſtitutos eſſe Apoſtolos *ipſius Chriſti Vicarios, imo ipſum Chriſti officium & auctoritatem ipſos accepiſſe*, qualem & quantam videlicet a Patre acceperat ipſemet Chriſtus: ut in Apoſtolica auctoritate *contineatur omnis poteſtas Eccleſiaſtica*. Habemus ex ſententia ipſius *Bellarmini Cyprianum* interpretantis, idem datum Apoſtolis per illa verba, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*; quod Petro fuerat promiſſum per illa, *Tibi dabo claves*; & poſtea exhibitum per illa, *Paſce oves meas*: hoc eſt, *juriſdictionem pleniſſimam etiam exteriorem*.

Addit *Bellarminus*: *Quomodo hæc non impediant Primatum Petri*, alibi ſatis a ſe fuiſſe oſtenſum: nempe cap. IX. & XII. & XII. Lib. I. ubi inter alia ſic ſcribit: (a) *Reſpondeo tribus modis Apoſtolos omnes fuiſſe Eccleſiæ fundamenta, ſine ullo tamen Petri præjudicio, &c.* Et rurſus: *Summa poteſtas Eccleſiaſtica non ſolum data eſt Petro, ſed etiam aliis Apoſtolis: omnes enim poterant dicere illud* Pauli, Inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum, 2. Cor. 11. *Sed Petro data eſt ut ordinario Paſtori, cui perpetuo ſuccederetur, &c.*

Quibus poſtremis verbis illud ſignificare vult *Bellarminus*, plenitudinem poteſtatis a Chriſto omnibus Apoſtolis collatæ in ſolo Petro fuiſſe ordinariam, & ad ſucceſſores tranſmittendam: in quo ille *Turrecrematæ* & *Cajetani* Principiis inſiſtit, contra quam *Franciſco de Victoria* & Gallis Theologis ſupra memoratis viſum fuit; qui Apoſtolorum poteſtatem tantum quoad univerſalitatem locorum extraordinariam ſeu perſonalem vocant; alioquin quoad univerſalitatem rerum gerendarum in Eccleſia perſeveraturam, tamquam in Epiſcopos omnes transfundendam.

Sed

(a) Ibid. p. 271.

Sed nobis in præſentia ſatis eſt, quod ex ſententia *Bellarmini* conſiſtere potuerit Primatus Petri cum pleniſſima illa & utroque modo univerſali poteſtate ceterorum Apoſtolorum. Imo ſatis eſt, quod conſiſtere potuerit cum pleniſſima poteſtate reſpectu ſingularum Diœceſium: ut pudere Romanum Anonymum debeat, (a) horrori ſibi fuiſſe, quod ore *Cardinalis de Cuſa* dixeram in *Tentaminis* Dedicatione, *Omnes Apoſtolos in poteſtate cum Petro æquales*: ſitque propterea in eodem Anonymo inſignis ignorantiæ ſignum, hæreſeos labem adſperſiſſe ſequentibus Propoſitionibus, quas in *Tentaminis* corpore adſtruxeram, Principio 1. Numero 1. *Quod in illis Provinciis, quas ſinguli regendas ſuſcipiebant, diverſas conſtitutiones edere ſolebant Apoſtoli, utpote ſupremi quidem apud greges ſuos Legumlatores*. Et rurſus: *Hanc poteſtatem a Chriſto Apoſtolis collatam ad regendas Eccleſias ſive Diœceſes, quæ ſingulis ſorte obtingerent, vel quas ipſi divino inſtinctu ſibi deligerent; poteſtatem quandam fuiſſe abſolutam, & quæ nullos haberet limites, ſed cauſarum genera omnia complecteretur*. Et poſt alia: *Omnes & ſingulos Apoſtolos pro ea poteſtate qua gaudebant, multos in illis Provinciis quas adminiſtrabant, per ſemet ordinaſſe Epiſcopos, iiſque poteſtatem impartitos eſſe aliorum ordinandorum*. Hæc & alia id genus, quæ in *Tentamine Theologico* ſcripſeram, hereſeos aut erroris nota inurere; nihil aliud eſt, quam hoſpitem ſe non tantum in Patrum & Theologorum Libris, verum etiam in ipſa Hiſtoria Evangelica profiteri.

Miſſi a Chriſto in univerſum orbem, qua obedientia & caritate præditi erant, non poterant Apoſtoli in injuncti operis executione torpere. Edocti ab Spiritu Sancto omnem veritatem, errare in docendis populis non poterant. Omni denique ambitione & faſtu exuti, non poterant privatam ſibi Eccleſiam vel Cathedram adſerere, a Petri communione alienam. Tamen ut Apoſtolatus miniſteria perfectius & facilius obirent,

(a) Anonym. pag. 8. & pag. 138. & alibi paſſim.

atque ad præcavenda & removenda in poſterum ſemina diviſionum ; totum orbem inter ſe partiti ſunt Apoſtoli, & ſinguli ſingulas Provincias Chriſto debellandas & regendas ſuſcepere. Itaque *Jacobo* Minore Jeroſolymitanæ Eccleſiæ Præfecto, Antiochenam, Alexandrinam, & Romanam fundavit Petrus : Epheſinam cum ceteris Aſianæ Provinciæ *Joannes* : Achaicam, cujus Metropolis Corinthus, *Andreas* : Indianam *Thomas* : Cretenſem & Illyricianam *Paulus* : & ſic alii alias. Atque hæc prima origo fuit Diœceſium & Parœciarum dividendarum : quam non a divino, ſed ab humano jure eſſe, inter doctiores convenit.

Durandus a S. Portiano Epiſcopus Meldenſis, in IV. Sent. diſt. XIX. quæſt. II. cum argumentando diſſeruiſſet, *in illis verbis* Joan. XX. Quorum remiſeritis peccata, &c. *non fieri limitationem de perſonis nec de culpa* ; proindeque videri conſequens, *quod quilibet Sacerdos poſſit quemlibet abſolvere & de quolibet peccato* : in reſponſione nihilominus agnoſcit a Chriſto Petro datam *quandam prærogativam* poteſtatis, ceteris Apoſtolis alioquin communis. Tum quaſi explicaturus, quo pacto ſtare poſſit poteſtas omnibus indefinite data, cum reſtrictione illa perſonarum, rerum, & locorum, in hunc modum quæſtionem abſolvit : *His ſuppoſitis dicendum eſt, quod loquendo abſolute de Sacramento Pœnitentiæ, circumſcribendo omnem ordinationem Eccleſiæ, quilibet Sacerdos poteſt quemlibet peccatorem de quolibet peccato abſolvere. Secundo tenendum eſt, quod per ordinationem Eccleſiæ factum eſt, quod non quilibet poſſit quemlibet abſolvere, nec de quolibet peccato. Tertio, quod Eccleſia hoc faciendo nihil mutat eorum, quæ ſunt eſſentialia Sacramento.*

Cardinalis de Cuſa Lib. II. *de Concordantia Catholica* cap. 13. (a) *Cum poteſtas ligandi & ſolvendi, in qua fundatur omnis Eccleſiaſtica juriſdictio, ſit immediate a Chriſto : & quia ab illa poteſtate ligandi & ſolvendi eſt divinæ juriſdictionis poteſtas : patet omnes Epiſcopos & for-*

(a) *Cuſa* pag. 727.

forte etiam Presbyteros, æqualis poteſtatis eſſe quoad juriſdictionem, licet non executionis: quandoquidem exercitium executivum ſub certis poſitivis terminis clauditur & reſtringitur propter melius, & cauſa perducendi omnes homines ad finem ſuum, ſcilicet Deum, &c. Unde ceſſante cauſa ſtatuti illius, qua habet diſtinctionem terminorum, & quod nullus alterius terminos ingrediatur; puta ob negligentiam inferiorum, vel neceſſitatem; tum ceſſant illa politica jura. Et hoc videmus, dum ſumus extra politica jura, in naturali ſcilicet jure, tempore neceſſitatis; quando tunc omnis Sacerdos a quocumque delicto etiam a Papa excommunicatum, & qualemcumque abſolvit. Unde adminiſtratio neceſſario partim erit de jure poſitivo quoad gradus majoritatis & inferioritatis. Quòd enim Diœceſes ſint diſtinctæ, & unus Epiſcopus ſuper Presbyteros ad unitatem conferendam conſtitutus, hoc eſt de poſitivo jure, Deo tamen inſpirante, &c. Ex eo quod urgente neceſſitate ordinet Epiſcopus in aliena Diœceſi, (quod ſæviente perſecutione Valentis Imperatoris feciſſe memoratur a *Theodoreto S. Euſebius Samoſatenus*:) & extra Parœciam abſolvat Presbyter, quod in articulo mortis omnibus licet: recte colligit doctiſſimus Cardinalis, deſignationem terminorum & ſubditorum non eſſe a divino, ſed ab humano jure inſtitutam in Eccleſia.

Jacobus Almainus in *Expoſitione circa Deciſiones* Ockami cap. IV. (a) *Quantum ad primum, duplex eſt modus dicendi: unus, quem recitant communiter Doctores, & quem tenet* Armachanus & Durandus, *quod omnes Sacerdotes ex inſtitutione prima Chriſti, ſecluſa conſtitutione & poteſtate humana, habent æqualem poteſtatem unumquemque fidelem abſolvendi.* Id cum multis probaſſet, pergit deinde *Almainus*: *Secunda opinio eſt, quod ex inſtitutione Chriſti eſt major poteſtas Eccleſiaſtica, quantum ad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ in uno quam in alio. Hoc declarat Gerſon*, &c. Et poſt pauca: *Ultra dicunt, quod etiam eſt veriſimile, quod ex inſtitutione humana Epiſcopatus diviſi ſunt a Petro, vel a ſucceſſo-*

(a) *Almain.* Tom. II. *Gerſon.* pag. 1020. & 1027.

ceſſoribus ejus, vel ab Epiſcopis. Nam quod ſit una Cura hic, & alia alibi, non inſtituit Chriſtus. Rurſus idem *Almainus* cap.v. *Quod ſit aliquis, qui habeat regere totam Chriſtianitatem, eſt ex inſtitutione Chriſti: & quod aliquis regat hunc Epiſcopatum, eſt ex inſtitutione humana.*

Alphonſus a Caſtro Libro II. *de Juſta Hæreticorum Punitione* cap. 24. *Fateor Epiſcopatuum diviſionem, qua quiſque Epiſcopus ſuos habet peculiares ſubditos, jure humano introductam eſſe, & merito ad evitandum confuſiones, & diſſentiones, quæ facile oriri poſſent, niſi talis diviſio facta fuiſſet, qua ſuas quiſque agnoſceret oves, & ab alienis abſtineret.*

Hoc ipſum eſt, quod in Cenſura ſua adverſus *Joannem Sarrazinum* anno MCCCCXXIX. ſignificarat Sacra Facultas Pariſienſis his verbis: *Omnes poteſtates jurisdictionis Eccleſiaſticæ alias a Papali poteſtate, eſſe ab ipſo Chriſto quantum ad inſtitutionem & collationem primariam; a Papa autem & ab Eccleſia, quantum ad limitationem & diſpenſationem miniſterialem.*

In qua Cenſura illud præterea obſervandum eſt, diligenter admodum dixiſſe Sacram Facultatem, *a Papa autem & ab Eccleſia*: videlicet nequis exiſtimaret, diviſionem Diœceſium & deſignationem ſubditorum, a ſolo Romano Pontifice dependere. Nam primam illam diviſionem ac deſignationem de communi Apoſtolorum conſilio, non ex unius Petri arbitrio fuiſſe decretam & in executionem miſſam: res eſt apud doctiſſimos quoſque exploratiſſima, & quæ ex antiquis monumentis probari facile poſſit. Profecto Nicæna Synodus I. & Conſtantinopolitana I. diſtributionem Diœceſium non aliunde repetit, quam *ab antiqua conſuetudine*; ab ea nempe conſuetudine, quæ ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia viguerat.

Hinc *Cardinalis de Cuſa* libro II. cap. 32. *Tota Eccleſia ſive Apoſtoli, qui tum Eccleſiam repræſentabant, propinquius quam ſolus Petrus Primatus conſtituerunt. Diſt. 99. can. Nulli.*

Hinc etiam Illuſtriſſimus *Boſſuetus* in Defenſione Declarationis Cleri Gallicani, Parte II. Libro XIII. cap.

cap. xv. (a) ſequor editionem Luxemburgenſem) *Antonium Charlaſium* omnia hæc uni Romano Pontifici adſcribentem ſic retundit: *Metropolitanas Eccleſias præſertim in Gallia ſuam a Summo Pontifice auctoritatem traxiſſe narrat, quo cauſæ ſuæ emolumento? Nempe & Paulus Titum in Creta Metropolitam iſtituit, juſſitque ut per Eccleſias Epiſcopos conſtitueret: an hic etiam neceſſe fuit intervenire Petrum? an Petrus Epheſinam, Cæſarienſem, Heracleenſem, aliaſque in Oriente primarias Sedes inſtituit, quæ non modo Epiſcopos, ſed etiam Metropolitas plurimos ſub ſe haberent? Quod vero Epiſcopatum toto orbe terrarum ab uno Petro & ſucceſſoribus propagatum, nulla probatione dicit, tamquam alii Apoſtoli nihil egerint: quod non niſi auctoritate Petri diſtributas Diœceſes, & cuique Paſtori ſuum aſſignatum gregem aſſerit: quod quidquid ceteri Apoſtoli, Paulus etiam apud Cretenſes, egerint & juſſerint, Petri & ſucceſſorum expreſſo vel tacito conſenſu valuiſſe reſpondet. Hæc contemnenda potius quam confutanda duximus; & in tanta literarum luce ab homine gravi dici potuiſſe miramur.*

Ex his intrepide colliges, ſicut univerſales quodammodo Epiſcopi futuri erant proximi Apoſtolorum ſucceſſores, niſi ab ipſis Apoſtolis Petro ſuffragante in diverſas Parœcias & greges diviſus eſſet Chriſtianus Orbis; ita facta ab Apoſtolico Collegio hac diviſione, ſupremam, abſolutam, & illimitatam eſſe ſingulorum Epiſcoporum intra ſuas Parœcias auctoritatem: hoc ſenſu nimirum, quem ſæpius alibi ſignificavi, quod nihil ad perfecte inſtituendam, regendam, & paſcendam commiſſam plebem deſiderari poſſit, quod in plenitudine Epiſcopalis poteſtatis adfatim non inveniatur. Eſt enim Epiſcopus Chriſti Vicarius, totam quam Chriſtus in Eccleſia auctoritatem exercuit, charactéri & officio ſuo adnexam habens.

Hoc eſt, quod docere nos voluit *Cyprianus*, dum in Epiſtula ad Lapſos xxxiii. ſic ſcribit: (b) *Divina lege fun-*

(a) *Boſſuet.* Tom. ii. pag. 242.
(b) *Cypr.* pag. 216. edit. Felli.

fundatum eſt, *ut Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur*, ET OMNIS ACTUS ECCLESIÆ PER EOSDEM PROPOSITOS GUBERNETUR. Hoc quod *Guilelmus Pariſienſis* a me in Dedicatione *Tentaminis Theologici* pridem laudatus e *Thomaſſino*: *In ſolis Epiſcopis plenitudo poteſtatis & iſtorum officiorum perfectio eſt*. *Ipſe Dominus Jeſus non plus quam Epiſcopus eſt in dignitatibus Eccleſiaſticis*, *ſecundum quod homo*. Hoc quod *Petrus Aurelius* in *Vindiciis Cenſuræ Sorbonicæ*, a nobis etiam in *Tentaminis* corpore jam olim deſcriptus: (a) *Chriſtus Epiſcopalem ſtatum non mancum quidpiam mutilumve inſtituit*: *ſed plenum*, *integrum*, *perfectum*, *& Sacerdotii ſui ſummi ac perfectiſſimi ſummam perfectiſſimamque imaginem*. *Chriſtum enim refert Epiſcopus*, *& vicem ejus in terris gerit*, *ut ſæpe docent SS. Patres*. *Sicut ergo Chriſti Sacerdotium vim omnem Sacerdotalem*, *perfectamque paſcendi gregis poteſtatem complectitur*: *ſic Epiſcopatus plenitudinem Sacerdotii & Paſtoralis muneris perfectionem natura ſua continet*. Et cetera quæ Principio I. Numero VIII. deſcripta invenies.

Hoc quod *Franciſcus a Victoria*, dum in Relectione II. *de Poteſtate Eccleſiæ*, poſtquam adfirmaſſet Numero 27. (b) *non indiguiſſe alios Apoſtolos expectare mandatum Petri ad omnia*, *quæcumque opus eſſent in Provinciis*: paullo poſt Numero 28. talem concluſionem probandam ſuſcipit: *Non ſolum Apoſtoli*, *ſed quilibet ſucceſſorum ſimiliter potuit relinquere ſibi ſucceſſorem*, *inconſulto etiam Succeſſore Petri*. Quod ex eo evincit *Victoria*, *quod Epiſcopus eſt Paſtor & gubernator Provinciæ jure divino*: *ergo ſi majore poteſtate non impediatur*, *poteſt facere omnia quæ expediunt ad ſalutem ſuæ Provinciæ*.

Hoc denique eſt, quod in vaſto Opere *de Antiqua*, *& nova Eccleſiæ Diſciplina* paſſim inculcat *Ludovicus Thomaſſinus*, vehementiſſimus alioquin Pontificiæ majeſtatis adſertor. Veluti Part. I. Lib. II. cap. XIV. num. I. (c) *Ut*

(a) *Aurel.* Tom. II. pag. 87. Pariſ. 1646.
(b) *Victor.* pag. 97.
(c) Tom. I. pag. 262.

Ut enim Chriſtus ligandi ſolvendique poteſtatem iiſdem admodum verbis contulerat Apoſtolis, atque Petro: ita Epiſcopi in vicem & munia Apoſtolorum ſuccedentes, ea poteſtate uſi ſunt pleniſſime plurium ſæculorum tractu, nullo circumſcripta limite intra ſuas quiſque Diœceſes. Ex quibus vides, unde ego deſumpſerim quæ ſcripſi in *Tentamine Theologico* Principio I. Numero VIII. *Ut igitur plene cognoſceretur, quanta eſſet hæc Epiſcoporum auctoritas; ſatis erat animadvertere, quam deſpotice illi Diœceſes ſuas per octo ſæcula & amplius adminiſtrarint.*

Hæc ſimiliter carpit & adrodit Anonymus Romanus, (a) quaſi hæreſeos viro conſperſa, & ad Epiſcopos cum Papa coæquandos tendentia. At callide ille diſſimulat, quæ ego e veſtigio ſubjunxi: *Exceptis enim illis cauſis, quas Jus Canonicum Majores vocat; uni Epiſcopi erant, qui nullo interventu, nullo influxu Sedis Apoſtolicæ, ampliſſima ipſi præditi poteſtate, omnia gubernabant, adminiſtrabant, diſponebant, ac decidebant; ut qui ſubditorum ipſorum ſupremi & abſoluti Paſtores eſſent.* Quæ dilucide oſtendunt, quo ſenſu *deſpoticam*, *ſupremam*, *abſolutam* dixerim Epiſcoporum auctoritatem.

Nempe eodem illo ſenſu, quo nuperrimus Auctor vaſti, & præclari Operis Gallici *de ſcientia Regiminis*, *Realius* tom. VII. cap. 22. ſectione 1. (b) ſequentia tradit: *Epiſcopi in regendis Eccleſiis ſuis nihil agnoſcunt reſervatum Papæ, niſi quod Canonibus & receptis conſuetudinibus ei reſervatum eſt, de conſenſu quidem ipſorum Epiſcoporum; ita ut ejuſmodi Reſervationes privilegia quædam ſint Apoſtolicæ Sedi conceſſa, ut loquuntur Patres Chalcedonenſes.*

Eodem illo ſenſu, quo *Abbas Fleurius* in Diſſertatione *de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ* ſequentia ſcribit: (c) *Quod Sancto Petro ſpecialiter dixit Chriſtus, id ipſum proportionatim referri debet ad ceteros, prout omnium ſæculorum conſtans fert traditio. Itaque in iis, quæ ad*

(a) Anonym. pag. 3. & pag. 226. & 250.
(b) *Real.* Tom. VII. pag. 147.
(c) *Fleurius* pag. 423. Pariſ. 1763.

ad ordinarium gregis regimen ſpectant, OMNI POTESTATE *gaudet quilibet Epiſcopus. Illius eſt Fidem proponere, illam explicare, quæſtiones decidere, Sacramenta adminiſtrare, judicare, corrigere: & ubi ille officio recte fungitur, nullum Papæ jus eſt poteſtatem aliquam in privatum gregem exercendi.*

Eodem illo ſenſu, quo *Ludovicus Thomaſſinus* (a) (a quo Anonymus (b) ipſe diſcere me jubet prærogativas Summi Pontificis) Part. I. Lib. I. cap. LII. Numero IV. ita docet: *Sacramentorum adminiſtrandorum* SUPREMA *& exors quædam auctoritas integra Epiſcopis ſervata eſt, tamquam ſpecialiter Chriſti vice & Apoſtolica ſucceſſione decoratis*. Et rurſus Numero V. *Nullus ergo ſupereſt dubitandi locus, quin rerum omnium in Eccleſia* SUPREMAM HABENT EPISCOPI POTESTATEM.

Scripſerat alibi idem *Thomaſſinus*, *Succeſſiſſe Epiſcopos* EMINENTIÆ SUPREMÆ *& plenitudini poteſtatum ſpiritualium Sancti Petri*. Scripſerat *ſuprema auctoritate* gaudere Epiſcopos in deſignandis Eccleſiis Baptiſmalibus: Scripſerat, *ſupremam diſpoſitionem* Beneficiorum eſſe penes Epiſcopos. Notavit Romanus Cenſor alter neſcio quis, ſupremam a *Thomaſſino* dici Epiſcoporum auctoritatem & diſpoſitionem. Quid ad hæc *Thomaſſinus*? *In Reſponſione ad Notas Scriptoris Anonymi*, quæ Tomo primo præfixa eſt in editione Latina Pariſienſi qua utor, ſic reſpondit: *Non hic dixi toti eminentiæ vel toti plenitudini jurium & poteſtatum Petri ſucceſſiſſe ſingulos Epiſcopos. Poteſt autem gaudere nomine & gloria plenitudinis ea poteſtas, quæ pro loco quem implet, pro munere quo fungitur, plena eſt; tametſi pleniori & ſuperiori alicui cedat poteſtati. Cave ſis autem, ne Conciliis Patribuſque Eccleſiæ notam inuras, ſi ſingulos Epiſcopos veteres dici Summos Antiſtites, Summos & Supremos Pontifices.* Et rurſus ibidem: *Nec Gallorum nunc tantum, ſed & antiquorum Eccleſiæ Patrum ea fuit frequens loquendi formula, ut omnes prorſus Epiſcopi dicerentur Summi Antiſti-*

(a) *Thomaſſ.* Tom. I. pag. 184.
(b) Anonym. pag. 391.

tiſtites. Nec tamen eo æquabantur Summo Pontifici . . . Summi ergo ac ſupremi dicuntur ſive Antiſtites, ſive Diſpenſatores; cum inferioribus comparantur; tametſi ſupra ſummos iſtos Antiſtites emineant Metropolitani, ſupra Metropolitanos Summi Pontifices, &c.

Hæc ſi legiſſet aut lecta non diſſimulaſſet noſter Anonymus (a), non ille quidem in me ita argueretur: *Poteſtas abſoluta vel deſpotica, proprie ſignificat poteſtatem quandam ſive juriſdictionem, nulli alteri majori juriſdictioni & poteſtati ſubditam*. Quod tamquam ſummi momenti Principium ex *Grotio* & *Puffendorfio* probat. Quaſi non ſit lippis & tonſoribus notum, omnium fere linguarum conſuetudine *ſupremum & abſolutum* dici non ſolum quod ex omni parte tale eſt, ſed etiam quod in ſuo genere plenum atque excellens eſt. Sicque apud Romanos *Supremam Inquiſitionem* vocari, quæ quantacumque auctoritate polleat, maximo tamen intervallo diſtat a Summo Pontifice: Pariſiis *Supremum Parlamentum*, quod tamen Chriſtianiſſimo Regi ſubditum ſe agnoſcit. Quid, quod Concilium Conſtantienſe Seſſione VIII. *Supremam eſſe inter alias Eccleſias* definivit Romanam Eccleſiam, quam Seſſione V. ſubditam Generali Concilio daclararat? Et antiqui Patriarchæ Alexandrinus & Antiochenus, antiquique Exarchi Epheſinus, Cæſarienſis, & Heracleenſis, licet Romano Pontifice inferiores, *Autocefali* tamen, id eſt, *Independentes* vocari ab Græcis Scriptoribus ſolent. Quo titulo Metropolitam etiam Helleſponti, qui antea in Cypro ſedem habebat, ornat Trullana Synodus Canone XXXIX. Quo ſenſu adfirmat quoque Illuſtriſſimus *Boſſuetus* (b) in loco ſuperius laudato, *abſolutæ ordinationis jure gaviſas eſſe Eccleſias Africanas, Gallicanas & Hiſpanienſes*; quia ut ſuas ordinationes celebrarent, nullius ſuperioris mandatum aut delegationem expectabant.

Debebat ſaltem noſter Anonymus meminiſſe illius Axio-

(a) Anonym. pag. 4.
(b) *Boſſuet*. Tom. 11. pag. 243.

Axiomatis, Theologorum & Canoniſtarum fere omnium conſenſione celebrati, quod ſic habet: *Quidquid poteſt Papa in tota Eccleſia, poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi*. Ut mirari ipſe deſineret & horreſcere, *ſupremam & abſolutam* a me dici poteſtatem illius, qui ex communi Catholicorum Doctorum ſententia omnia intra ſuam Diœceſim poſſit, niſi majori poteſtate impediatur.

S. Thomas in IV. Sent. diſt. XXIV. q. III. art. II. (a) *Poteſtas Sacerdotis exceditur a poteſtate Epiſcopi, quaſi a poteſtate alterius generis. Sed poteſtas Epiſcopi exceditur a poteſtate Papæ, quaſi a poteſtate ejuſdem generis. Unde omnem actum hierarchicum, quem poteſt facere Papa, poteſt facere Epiſcopus.*

Toſtatus Abulenſis Epiſcopus *Commentariis in Matthæi* cap. XVI. quæſt. 87. (b) *Epiſcopus eo ipſo quod conſecratur, habet uſum clavis plenum, & non indiget Epiſcopali commiſſione aliqua, ſed ipſo jure habet uſum clavis plenum, niſi expreſſe ſibi interdicatur vel arctetur a Papa.*

Franciſcus a Victoria Relectione VII. quæ eſt *de Matrimonio*, Numero VII. (c) *Contra, & eſt quartum argumentum: Si hoc Papa poteſt, ergo & quilibet Epiſcopus in ſua Diœceſi*. NESCIO ENIM QUID PAPA POSSIT IN TOTA ECCLESIA, QUOD NON POSSIT EPISCOPUS IN SUO EPISCOPATU; *niſi forte in illis, quæ de ſe ſpectant ad univerſalem Eccleſiam, ut determinatio Fidei. Omnia enim alia, quæ Papa poteſt, videntur Epiſcopi etiam poſſe in ſua Diœceſi, niſi quod in aliquibus poteſtas eorum contracta eſt jure*, &c.

Jacobus Sambovius *in Reſolutionibus plurimorum Caſuum conſcientiæ* Galliæ editis, Caſu 67. (d) *Illud certum eſt, ut* Sancii *verbis utar* Libro I. *de Matrimon.* diſt. LXI. (e) QUIDQUID POTEST PONTIFEX IN UNIVER-

(a) *Thom.* Tom. VII. P. II. fol. 145.
(b) *Abulenſ.* Tom. XXI. pag. 332. Venet. 1728.
(c) *Victor.* pag. 262.
(d) *Sambov.* Tom. I. pag. 263.
(e) *Sancius* Tom. I. pag. 82. Viterbii 1737.

verso orbe, (*ſi ea excipias quæ ad univerſæ Eccleſiæ ſtatum pertinent, ut res Fideì definire*) posse episcopum in sua diœcesi, *niſi ei ſpeciatim per Pontificem aliquid reſervetur. Et ratio eſt manifeſta: quia eſt Paſtor ordinarius in ſua Diœceſi, ſicut Pontifex in toto orbe, licet ſit ipſi ſubjectus. Ergo in iis, in quibus Pontifex non limitat ejus juriſdictionem, habet poteſtatem ordinariam.*

En ex vulgatiſſima ac receptiſſima doctrina Theologorum probatiſſimorum etiam Hiſpanorum, reſpectu ſingularum Diœceſium ſuprema, abſoluta, & nullis circumſcripta limitibus Juriſdictio Epiſcopalis, ſi in ſemet ſpectetur; hoc eſt, in inſtitutione a Chriſto facta, & ſeclusa lege, vel conſuetudine, vel reſervatione in contrarium. Quod ipſiſſimum eſt primum Principium a me ſtabilitum in *Tentamine Theologico*.

Unum illud inter Hiſpanos & Gallos Theologos intercedit diſcrimen: quod Hiſpani auctoritatem reſtringendi & coarctandi Epiſcoporum juriſdictionem uni Romano Pontifici tribuunt: Galli vero non ſoli Romano Pontifici, ſed etiam & præcipue Concilio Generali. Sed de hoc alibi fuſius & explicatius agetur.

Illud heic poſtremo loco addam, quod cum ſit maximi momenti, a nemine tamen hactenus obſervatum memini. Eſt autem ejuſmodi. Si puriorum ſæculorum Diſciplinam ſpectemus; emendari oportere ſuperius illud Axioma ita, ut non *Quidquid poteſt Papa in tota Eccleſia, poſſit Epiſcopus in ſua Diœceſi*; ſed ita, ut *Plus in ſua Diœceſi poſſit Epiſcopus quam in tota Eccleſia Papa*. Cum enim in Diœceſi Oliſiponenſi v. g. proprius & immediatus Paſtor jure divino ſolus ſit Patriarca Oliſiponenſis; nullos in Oliſiponenſi Diœceſi actus Hierarchicos exercere poteſt Romanus Pontifex invito Patriarcha Oliſiponenſi, niſi ſi ipſe Patriarcha negligens aut culpabilis in officio Paſtorali deprehendatur. Id *Gerſon* in Epilogo Libri *de Poteſtate Eccleſiaſtica*, id *Fleurius* in Diſſertatione *de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ*, id ex ſententia recentiorum aliorum Gallorum obſervat *Realius* tom. vii. cap. ii. ſect. i. Certe per Canones Nicænos non magis licebat Romano Pontifici ordinationes aut alium quemvis juriſdi-

ctionis actum in Diœceſi Alexandrina vel Antiochena exercere; quam Alexandrino vel Antiocheno Exarcho in Eccleſiis Suburbicariis, ſeu Diœceſi Romana. Neque in decem primis Eccleſiæ ſæculis exemplum facile reperiretur aliquod, ubi immediatam juriſdictionem in alienis Diœceſibus ſibi adrogare Romanum Pontificem paterentur alii Epiſcopi, niſi interveniente defectu vel culpa Ordinariorum ipſorum Paſtorum.

CAPUT IV.

Explicantur & confirmantur loca illa Tentaminis Theologici, *in quibus Romanus Anonymus comminiſcitur, invidiſſe me Romanæ Eccleſiæ prærogativam illam & ſingularem auctoritatem, qua ceteris omnibus Eccleſiis antiſtare illa credenda eſt.*

Emendatur Tentaminis Theologici *Italica Verſio.*

Oſtenditur nihil doctrinæ meæ adverſari, ſed vehementer potius ſavere Irenæum, Cyprianum, Optatum. *Favere etiam vehementer* Hieronymum, Auguſtinum, Gregorium Magnum, Gelaſium, & Bernardum.

Ex Sacris Litteris ceteræ Chriſtiani orbis Eccleſiæ non minus ſunt Chriſti Eccleſiæ, quam Romana Eccleſia.

Quo ſenſu Romana Eccleſia dicatur Catholica Eccleſia.

Petri de Alliaco, Joannis Gerſonis, Gloſſæ in Gratianum, Beſſarionis Cardinalis, Joannis Giberti, & *Octavæ Synodi Generalis illuſtres loci.*

Conſtantienſis Concilii cenſura adverſus Wicleffum, *unde firmatur ſolemnis diſtinctio ſenſus diſtributivi & collectivi, ubi auctoritas Papæ cum auctoritate Generalis Concilii comparatur.*

Illuſtriſſimus Boſſuetus *mihi perpetuo ſuffragans.*

TRiginta fere paginas implet Anonymus Romanus, deſcribendis partim antiquorum Patrum, partim recentiorum e Gallia Epiſcoporum notiſſimis teſtimoniis, pro vindicanda (ut ſibi videtur) adverſus adſertiones meas Romanæ Eccleſiæ excellentia ac dignitate. Et non videt interim acutus homo, quæcumque ipſe ex *Irenæo*, *Cypriano*, *Optato*, *Hieronymo*, *Auguſtino*,

no, *Bernardo*; ceteriſque Patribus mihi objicit; ea omnia ab aliis Theologis Pontificiis ante objecta Gallis, doctiſſime ac pleniſſime enodata eſſe a *Richerio*, *Launojo*, *Dupino*, aliiſque Pariſienſibus Doctoribus; præſertim vero a magno *Boſſueto* duobus Libris xiv. & xv. *Defenſionis Declarationis Cleri Gallicani*.

Prima adſertio notata ab Anonymo ſic ſe habet in Verſione Italica, Principio v. Numero viii. *Verbo dicam: tota antiquitas pro comperto habuit, Romanam Eccleſiam eſſe quidem primam, eſſe præcipuam, eſſe ſupremam inter omnes Eccleſias particulares: ſed Reginam tamen non eſſe aliarum omnium*. Quam *Marci Antonii de Dominis* puram doctrinam eſſe, a Parienſi Facultáte hæreſeos & ſchiſmatis damnatam, obſirmate contendit Adverſarius. (a) At ego jam in Prolegomenis adnotavi, locum illum *Tentaminis Luſitani* male ab interprete *Veneto* fuiſſe redditum, reddique ita debuiſſe, ut revera eſt redditus in *Tentamine Latino*: *Sed Reginám tamen non eſſe conflatæ ex omnibus Eccleſiæ*. Ubi enim totæ Eccleſiæ non jam ſeparatim & diſtributive, ſed conjunctim & collective conſiderantur; ipſa collectione minores & inferiores ſunt ſingulæ, ne excepta quidem Romana.

Hoc autem modo intellecta hunc ſenſum facit mea enunciatio: Romanam Eccleſiam ſic ceteris omnibus & ſingulis antecellere, ut minor & inferior tamen ſit Eccleſia Univerſali, ſeu ejus Synodo Œcumenica. Quæ enunciatio ſi acerbiori aliqua cenſura notanda eſt, notetur etiam *Hieronymus*, cujus in epiſtula ad Evangelum etiam ex *Gratiani* Decreto notiſſimum illud dictum eſt: *Si auctoritas quæritur, orbis major eſt urbe*. Notetur & *Auguſtinus*, qui in Pſalmum xliv. Numero 23. hæc ſcripſit: *Eccleſiæ filiæ Apoſtolorum, filiæ Regum ſúnt. Ecce Roma, ecce Carthago, ecce aliæ & aliæ Civitates: filiæ Regum ſunt, & ex omnibus fit una quædam Regina*.

Utrumque locum ad confirmandum quod dixeram, ego

(a) Anon. pag. 11. & alibi.

ego paullo poſt in eodem *Tentaminis* loco citaveram : Citaveram & Numero XIX. ex Cracovienſi inclita Academia : *Omne totum eſt majus ſua parte : ergo Eccleſia quæ eſt quoddam totum, major eſt & excellentior ipſo Papa*. Citaveram & Numero XXXVII. e Colonienſi altera pariter inclyta Academia : *In Eccleſia Sponſa Chriſti prima præſidentia eſt Sedis Apoſtolicæ, ſuper omnes alias Eccleſias particulares & Sedes inferiores, non ſuper totam univerſalem prælatæ*. Citaveram & eodem Numero XXXVII. illud e *Gerſone* in Sermone S. Antonii Abbatis : *Sanctus Thomas & Bonaventura Summo Pontifici dant ſupremam & plenam poteſtatem Eccleſiaſticam ; recte procul dubio : ſed hoc faciunt in comparatione ad fideles ſingulos, & particulares Eccleſias*. Citare autem poteram Gloſſatorem *Gratiani*, qui ad illud *Hieronymi* : *Si auctoritas quæritur, orbis major eſt urbe*, ita ſcribit : *Eſt hic argumentum, quod ſtatuta Concilii præjudicant ſtatuto Papæ, ſi contradicant*.

Sed validius nihil opportuniuſve pro mea illa propoſitione adferri poteſt, quam quod ſuperius jam laudavi ex Synodo Conſtantienſi. Quæ Synodus cum uno in loco adverſus *Wicleffum* definierit, *Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias* ; alio vero in loco declararit, *Generale Concilium utpote univerſalem Eccleſiam repræſentans, poteſtatem a Chriſto immediate habere, cui quilibet cujuſcumque dignitatis etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur* : nonne apertiſſime Univerſalem Eccleſiam prætulit Romanæ Eccleſiæ? Ex ſenſu igitur Conſtantienſis Concilii prima quidem eſt, præcipua, & ſuprema inter alias Eccleſias Romana Eccleſia ; ſed non tamen Regina eſt conflatæ ex omnibus Eccleſiæ, qualis eſt Eccleſia Univerſalis, ſeu Concilium Œcumenicum eam repræſentans.

Quare in ipſa Florentina Generali Synodo (a), in qua Græcis & Latinis conſentientibus definitum eſt, *Sanctam Apoſtolicam Sedem & Romanum Pontificem in univerſum orbem habere Primatum* : dicere nullus dubitavit

(a) Concil. tom. XVIII. pag. 155. edit. Venet.

vit *Beſſarion* Metropolita Nicænus, & poſtea Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, quod Seſſione IX. legimus: *Scimus quidem quæ ſint jura & prærogativæ Romanæ Eccleſiæ: nihilominus ſcimus etiam, prærogativæ ejus quos terminos habeant. Quoniam quantacumque facultate polleat Romana Eccleſia, minus tamen Synodo Œcumenica, & univerſali Eccleſia.*

Quoniam vero ubi de Romanæ Eccleſiæ excellentiâ & auctoritate agitur, Illuſtriſſimi præſertim *Boſſueti* teſtimoniis me obruendum judicavit Anonymus: age, exploremus jam, utri primas detulerit magnus ille Epiſcopus; Eccleſiæ ne Catholicæ & Univerſali, an particulari Romanæ?

Ac primum quidem audiamus in ipſo mox Operis veſtibulo differentem, qua ratione conſiſtere ſimul poſſint hæc duo: eſſe Romanam Eccleſiam ſupremam inter alias Eccleſias, & non eſſe tamen Reginam conflatæ ex omnibus Eccleſiæ.

Libro I. cap. III. *Defenſionis Cleri Gallicani* ſic ſcribit Epiſcopus Meldenſis (a). *Illa diſtinctio diſtributive, collective, ne vana ac nimis ſcholaſtica videatur, eam adverſus* Wicleffum *Synodus Conſtantienſis & Martinus V. totaque Eccleſia Catholica docuit. Sic certe ſtatuit Seſſio* VIII. *Concilii Conſtantienſis. Sic repetitam legimus Decretali* Inter cunctas, *quam contra* Wicleffum *Sacro Concilio Conſtantienſi approbante Martinus V. edidit. Propoſitio* Wicleffi 41. Non eſt de neceſſitate ſalutis credere, Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias. Error eſt, ſi per Romanam Eccleſiam intelligat Univerſalem Eccleſiam, aut Concilium Generale, aut pro quanto negaret Primatum Summi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares. *En illud* diſtributive *a Concilio Conſtantienſi & Martino V. diſerte approbatum. En quo ſenſu ſanctiſſima iſta Synodus tantuſque Pontifex decernunt, Pontificiam Poteſtatem in Eccleſia primam & ſupremam eſſe; non quod ſit ſuper omnem conjunctim & collective, ut ajunt, Eccleſiam; ſed quod*

(a) *Boſſuet.* tom. I. pag. 9. edit. Luxemb. 1730.

quod ſit ſuper omnes Eccleſias particulares ſeparatim , ac diſtributive ſumptas.

Jam ergo Illuſtriſſimo *Boſſueto* judice quod ego adſerui , *Romanam Eccleſiam eſſe primam & ſupremam inter alias Eccleſias particulares ; ſed Reginam tamen non eſſe ſive ſuperiorem conflatæ ex omnibus Univerſalis Eccleſiæ ;* id tantum abeſt, ut ab Spalatenſis Antiſtitis fæce ſit collectum ; ut potius ipſiſſima doctrina ſit , quam adverſus *Wicleffum* Catholicis omnibus credendam propoſuerit cum tota Synodo Conſtantienſi Summus Pontifex Martinus V. Qua fronte igitur tam ſæpe , tam virulenter exagitat Anonymus (a) , veluti hæreticam & ſchiſmaticam, diſtinctionem illam a me hic & aliis in locis adhibitam ſenſus diſtributivi & collectivi ?

Rurſus Libro III. capite I. in hunc modum ſcribit laudatiſſimus Epiſcopus (b) : *Audiamus quid ex Martino V. prolatum voluerit* Cajetanus . *Nempe id in Bulla* Inter cunctas *ſacro Conſtantienſi Concilio approbante editum* : Quod Papa canonice electus ſit Succeſſor Beati Petri, habens ſupremam auctoritatem in Eccleſia Dei. *At ne illud quidem cogitas*, ſupremam *dixiſſe* in Eccleſia Dei . *Tu continuo inſers*: *ergo ſuper omnem Eccleſiam, etiam congregatam . Statum quæſtionis & ea quæ laudaſti verba mutas . Nos autem fatemur ſupremam* in Eccleſia, *non tota Eccleſia etiam congregata ſuperiorem : ſive quod idem eſt in Concilio Baſilienſi poſitum :* Papa in Eccleſia major, non tamen tota Eccleſia major.

Denique Lib. XIV. cap. XXX. quantum Romanæ Eccleſiæ particulari præſtet Eccleſia Univerſalis, ſeu ejus Synodus Œcumenica , in hunc modum oſtendit *Boſſuetus* (c) : *Operæ pretium erit conſiderare , ut Eccleſiæ Catholicæ auctoritas laborantem & periclitantem adjuvarit Romanam Eccleſiam ; ſimulque ſe ipſam omni Romanorum Pontificum auxilio deſtitutam , Sancti Spiritus fulta præſidio ſuſtentarit*. Et in ejuſdem Capitis calce : *Hæc Catholicæ Eccleſiæ auctoritas Eccleſiæ Romanæ Eccleſiarum ma-*

(a) Anonym. pag. 198. & ſeqq.

(b) *Boſſuet*. ibid. pag. 66.

(c) Ibid. Tom. II. pag. 293.

matri ſuccurrebat, cum nihil opis afferre poſſet ipſa ſibi: Et poſt pauca: *Eſt ergo Eccleſiæ Catholicæ pleniſſima ac ſuprema & univerſalis auctoritas, qua quæcumque deficiant etiam in Eccleſia Romana ſuppleantur*.

Secunda adſertio a me poſita, & ab Anonymo mordaciſſime, ne dicam petulantiſſime exagitata, illa eſt, quæ in Dedicatione *Tentaminis Theologici* ita legitur: *Eſt ſane Romana Eccleſia* Eccleſia principalis, *quemadmodum eam vocant* Sancti Irenæus, Cyprianus, & Optatus: *ſed non ſola eſt Chriſti Eccleſia. Sunt & Chriſti ceteræ aliæ Eccleſiæ: omneſque ſimul cum Romana unam illam Eccleſiam conſtituunt* Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam, *quam in Symbolo profitemur*. Audi nunc impotentem & furibundum Cenſorem (*a*): *Hic audire mihi videor clamores omnium Sanctorum Patrum omniumque Antiſtitum Eccleſiaſticorum, elata voce ſuffocare conantium vocem hujus Scriptoris*, &c.

Rem miram & prorſus inauditam! Ego verbis & ſenſu *Irenæi*, *Cypriani*, & *Optati*, Romanam Eccleſiam *Eccleſiam principalem* voco & agnoſco. Contra Romanus Anonymus contendit, propoſitum mihi eſſe verbis illis *obſcurare auctoritatem Eccleſiæ Romanæ, eamque cum ceteris omnibus particularibus Eccleſiis, quaſi nulla re præſtantem confundere*. Itaque nihil differre doctrinam meam a doctrina *Marci Antonii de Dominis*. Quam ob rem? quia Romanam Eccleſiam *ſolo præconio ſive titulo* Eccleſiæ principalis *honeſtans*, *unicam eam Chriſti Eccleſiam eſſe negavi*.

Sed quæſo te, vir modeſtiſſime: an alio quam *principalis Eccleſiæ* titulo Romanam Eccleſiam donavit ſive *Irenæus*, ſive *Cyprianus*? Non alius ſane in *Irenæi* verbis adparet: *Ad hanc Eccleſiam* (inquit) *propter* POTIOREM PRINCIPALITATEM *neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam*. Non alius item apud *Cyprianum*: *Navigare audent ad* ECCLESIAM PRINCIPALEM. Interim unicam Chriſti Eccleſiam eſſe Romanam Eccleſiam diſerte negat ipſe *Irenæus*, dum *ad Romanam Eccleſiam* C 4 dicit

(*a*) Anonym. pag. 13.

dicit *neceſſe eſſe convenire* OMNEM ECCLESIAM. Negat pariter *Cyprianus*, dum addit e veſtigio: *Unde unitas Sacerdotalis exorta eſt*. Non puto enim *Sacerdotalis unitatis* nomine aliud hic intelligi a quoquam poſſe quamplurimorum Antiſtitum, adeoque plurimarum Eccleſiarum inter ſe cum Romano Pontifice conſenſionem & nexum.

At *Optatus*, inquis, *Petri Cathedram unam & ſingularem vocat*. Fateor, qui *Optati* locum præ oculis habebam, cum *Optatum* ipſum *Irenæo* & *Cypriano* adjunxi. Sed verbis inſidiaturus, diſſimulas ab *Optato* ſic *unam & ſingularem Cathedram* dici Petri Cathedram, ut interim non excludat aliorum Cathedras; nec Chriſti Cathedras eſſe neget, quæ non contra Petri Cathedram collocentur. *Negare non potes*, (inquit) *ſcire te in urbe Romæ Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam .... in qua una Cathedra unitas ab omnibus ſervaretur, ne ceteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent; ut jam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret*. Audis, *in qua una Cathedra unitas ab omnibus ſervaretur?* Et, *ut jam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret?* Ergo cum illa una & ſingulari Cathedra ſtare optime poſſunt aliæ Cathedræ; modo contra Petri Cathedram non erigantur, ſed ſtent inter ſe & cum Cathedra Petri ita colligatæ, ut multæ Cathedræ una eſſe videatur Cathedra. Quod ergo *Optatus unam & ſingularem* adpellat Petri Cathedram, id non eo ſpectat, ut ſola Romana Eccleſia Chriſti Eccleſia reputetur; ſed ut non reputentur Chriſti Eccleſiæ, niſi quæ communionem colant cum Eccleſia Romana; quam ego propterea cum *Irenæo* & *Cypriano* *Eccleſiam principalem* vocavi; & cujus Cathedram eadem ratione *ſingularem* dixit *Optatus*. Talem vero Spalatenſis Antiſtes numquam agnovit, qui nullum in Eccleſia principatum admiſerit, niſi humano jure inſtitutum.

Optime igitur ſcribit *Dupinus* Diſſertat. IV. cap. I. §. 2. (a) *Optati verbis abutuntur, qui inde concludere volunt,*

(a) *Dupin.* pag. 314.

lunt, *Cathedram Romanam unicam eſſe in tota Eccleſia : etenim per Cathedram intelligit ſucceſſionem Epiſcoporum ab Apoſtolis decurrentem*.

Profectò adſertionis meæ ſenſum quanto accuratius introſpicio, tanto majori mihi admirationi eſt acerbitas & iniquitas, qua in illam invectus fuit Romanus Anonymus. Nec poſſum mihi non perſuadere, eum animo magis calumniandi, quam tuendæ veritatis, manum operi admoviſſe. Quid enim magis orthodoxum enunciari potuit, quam quod dixi in *Dedicatione Tentaminis*: *Eccleſiam Romanam eſſe quidem Eccleſiam principalem*, *ſed non ſolam eſſe Chriſti Eccleſiam?* Nomen ipſum *principalis Eccleſiæ*, quo Romanam Eccleſiam donarunt *Irenæus* & *Cyprianus*, ſocias alias Eccleſias exiſtere plene oſtendit. Principalis enim dici non poterat, niſi reſpectu aliarum.

An Chriſti Eccleſiam eſſe negabit Anonymus Eccleſiam Corinthi, quam hoc modo ſalutat Paulus: *Eccleſiæ Dei*, *quæ eſt Corinthi*? An negabit Chriſti Eccleſias eſſe *ſeptem Eccleſias Aſiæ*, ad quas Apocalypſim ſuam direxit *Joannes?* An negabit Chriſti Eccleſias eſſe Eccleſias *Ponti*, *Cappadociæ*, & *Bithyniæ*, quarum in priori epiſtula Petrus meminit? Chriſti ergo Eccleſiæ ſunt Eccleſiæ Achaicæ, Ponticæ, Aſianæ: quid ni ergo Chriſti Eccleſiæ erunt Eccleſiæ Hiſpanicæ, Gallicæ, Germanicæ, eandem quam illæ, fidem profeſſæ? An cum *Paulus* dixit Actorum xx. *Epiſcopos poſitos eſſe ab Spiritu Sancto regere Eccleſiam Dei*, *quam adquiſivit ſanguine ſuo*, ſolam Romanam intellexit *Paulus?* At hæc ille dicebat Epheſi, cum forte de Romanis ne cogitaret quidem. Nec nomine *Eccleſiæ Dei* hic intelligi poteſt ſola Romana, niſi etiam ſola Romana credatur *Dei ſanguine* redempta, quo nihil magis impium, nihil magis abſurdum. Præclare ergo & opportune *Bernardus Eugenio Papæ* inclamabat: *Erras*, *ſi ut ſummam*, *ita ſolam a Deo veſtram exiſtimas poteſtatem*.

Jam ſi Eccleſiæ Chriſti ſunt non minus quam Romana, Eccleſiæ Hiſpanicæ, Gallicæ, Germanicæ, ceteræque Chriſtiani orbis: conficitur plane & neceſſario, ex Romana ceteriſque Eccleſiis componi Univer-

ſa-

ſalem illam Eccleſiam, quam in Symbolo profitemur *Unam*, *Sanctam*, *Catholicam*, & *Apoſtolicam*: quæ ſecunda pars eſt propoſitionis meæ ab Anonymo proſcriptæ. Hoc ſenſu *Tertullianus* in Libro *de Præſcriptionibus* cap. 36. Catholicam Eccleſiam conflat ex Eccleſiis Achaica, Aſiana, Macedonica, Pontica, Africana, & Romana. Et *Optatus* Libro 1. ut contra Donatiſtas evincat, veram Eccleſiam legitimamque ſucceſſionem non eſſe in parte Donati, ſed in altera illa Catholicorum Antiſtitum; non ſolam urget communionem cum Eccleſia Romana, ſed etiam pro ſe adducit communionem cum ceteris Eccleſiis; nempe cum *Theſſalonicenſibus*, *Corinthiis*, *Galatis*, *ſeptem Eccleſiis quæ ſunt in Aſia*. Eodem ſenſu ſcribit *Gregorius Magnus* Lib. v. epiſtula 18. ad Joannem CPnum: *Certe Petrus Apoſtolorum primus, membrum Sanctæ & Univerſalis Eccleſiæ: Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud quam ſingularium ſunt plebium capita. Et tamen ſub uno capite Chriſto omnes membra ſunt Eccleſiæ*. Neque aliam quam Univerſalem ſive Catholicam Eccleſiam ſignificare *Cyprianus* voluit, dum in Libro *de Unitate Eccleſiæ*, poſtquam dixiſſet, *Et Paſtores ſunt multi, ſed grex unus oſtenditur, qui ab Apoſtolis unanimi conſenſione paſcatur*, hæc mox addidit: *Quam unam Eccleſiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus Sanctus ex perſona Domini deſignat & dicit:* Una eſt columba mea perfecta mea, &c. Nec aliter *Gelaſius Papa* apud *Gratianum* in Cap. *Quamvis Univerſæ*, Diſt. 21. *Quamvis Univerſæ per orbem Catholicæ & Apoſtolicæ conſtitutæ Eccleſiæ, unus thalamus Chriſti ſint; tamen Sancta Romana Eccleſia Catholica & Apoſtolica ceteris Eccleſiis Domini voce prælata eſt.*

Hinc apud Theologos & Canoniſtas nihil tritius, quam eſſe Romanam Eccleſiam partem Eccleſiæ Univerſalis, quamvis præcipuam & ceteris nobiliorem dignitate regiminis & juriſdictionis. Gloſſa in cap. *Eccle.* diſt. 99. *Romana Eccleſia non eſt univerſalis aut univerſitas, ſed pars univerſalitatis*.

Gibertus in Prolegomenis (a): *His non obſtant textus do-*

(a) *Gibert.* tom. 1. p.112.

docentes, *quod Eccleſia Romana ſit Mater ac Magiſtra omnium Eccleſiarum . Intelligendi enim ſunt de Eccleſiis ſeorſim ſumptis , non de iiſdem conjunctim conſideratis , quæ ſunt Eccleſia Univerſalis ex omnibus coaleſcens ; cum Eccleſia Romana iſtius Eccleſiæ Mater & Magiſtra eſſe nequeat* , *utpote* QUÆ SIT TANTUM ILLIUS PARS PRÆCIPUA .

Ne pluribus locis e *Petro Alliacenſi* , *Joanne Gerſone*, & *Nicolao Cuſano* deſcribendis , Lectorum otio & patientia abuti videar: una pro omnibus audienda Synodus Œcumenica VIII. cujus Canon decimus tertius talis eſt: *Si qua vero Œcumenica Synodo collecta de Romana etiam Eccleſia controverſia extiterit , licebit cum decenti reverentia de propoſita quæſtione veneranter ſciſcitari , reſponſumque admittere* , *&c.* Ubi vides Romanam Eccleſiam Synodo Univerſalis Eccleſiæ ſubjici tamquam partem .

Quod autem Anonymus (a) objicit ex *Cypriano* & *Ambroſio* , eſſe idem cum Romana Sede convenire , ac convenire cum Catholica Eccleſia : id quo cauſæ ſuæ emolumento objiciat , prorſus neſcio . Nam tota quæſtio in eo eſt, an ego recte & orthodoxe ſcripſerim , Romanam Eccleſiam eſſe quidem principalem Eccleſiam, ſed non ſolam eſſe Chriſti Eccleſiam . Negat Anonymus recte id aut orthodoxe ſcriptum , quod fuerit in *Marco Antonio de Dominis* damnatum ab omnibus Catholicis . At dum ad creandam mihi invidiam *Cypriani* & *Ambroſii* auctoritate abutitur, egregie ille imperitis Lectoribus imponit . Nam eſſe idem ex ſententia illorum Patrum communicare cum Romana Eccleſia ac communicare cum Eccleſia Catholica , non eſt ex ſola Romana Eccleſia conſtare Catholicam Eccleſiam : alioquin Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos non ſe agnoſcerent *Cyprianus* & *Ambroſius* , qui non Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi erant , ſed *Carthaginenſis* & *Mediolanenſis* .

Unum ergo illud ſignificare volebant cum *Cyprianus* &

(a) Anonym. pag. 20. & 183.

& *Ambroſius*, tum *Optatus* & *Auguſtinus*, quorum omnium teſtimoniis opprimere me fruſtra tentavit Anonymus: nempe conflatam ex particularibus omnibus Eccleſiis Catholicam Eccleſiam, communione cum Romana Eccleſia & cum Summo Pontifice in ea ſedente, ab Eccleſiis hæreticorum & ſchiſmaticorum diſtingui. Hoc autem ego nuſpiam negavi, qui Romanam Eccleſiam Catholicæ Unitatis centrum ſæpe dixi, ſæpe agnovi.

Sed audiatur Illuſtriſſimus *Boſſuetus* Libro XIV. cap. XXXII. (a) *Certum eſt Romanum Pontificem a Deo eſſe poſitum, qui Catholicæ ſocietatis communioniſque eſſet vinculum. Stat ſemper invictum illud Optati de Romano Pontifice:* Cum quo nobis totus orbis unitatis in ſocietate concordat. *Et illud* Hieronymi *ad* Damaſum: Qui tecum non colligit, ſpargit. *Et illud* Cypriani, *illud* Ambroſii, *illud omnium, ut cum Romano Epiſcopo, id eſt, cum Eccleſia Catholica communicemus*. Quæ ne a *Boſſueto* ſcripta intelligantur eo ſenſu, quo illa adverſus me urget Anonymus; ut ſcilicet tota auctoritas, totaque infallibilitas Eccleſiæ etiam univerſalis, in Romana Sede Romanoque Pontifice reſidere credatur, accipe, ut caput ipſum XXXII. exorſus fuerit idem *Boſſuetus: His convincuntur ii, qui Eccleſiam Catholicam ſtatim interituram putant, ſi quis Romanus Pontifex falſa definiat, tamquam una ea res ſit, quam Eccleſiæ Catholicæ auctoritas ſupplere non poſſit* (b). Accipe item quæ idem ſcripſit poſtea Libro XV. cap. VI. ubi *Irenæi*, *Cypriani*, & *Optati* loca de excellentia Romanæ Eccleſiæ ſuperius memorata explicat: *Neque* Cyprianus *rem tantam conticeſcit*. Navigare, *inquit*, audent ad Petri Cathedram, & ad Eccleſiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt. *En unde principalis, quod* Irenæus *dicebat*: *& jam ſermone Eccleſiaſtico frequentatum, hunc locum Petri, & Cathedræ Sacerdotalis gradum; hanc Eccleſiæ Catholicæ radicem & matricem, Eccleſiaſticæ unitatis originem idem* Cyprianus *ſæpe commen-*

(a) *Boſſuet*. tom II. pag. 296. (b) Ibid. pag. 336.

mendat. Neque ab ejus Eccleſiæ principalis unitate & fide deflectere ſe putabat, cum Stephani Papæ de hæreticorum non iterando baptiſmate decretum, tot undique conquiſitis Scripturarum locis, vehemens accuſator urgebat. Nec taceam illam Optati unicam ſingularemque Cathedram, quam Petrus primus ſederit Apoſtolorum caput, &c.

Unum illud enucleandum ſupereſt, quod tametſi non fuerit ab Anonymo objectum, poteſt tamen a ſciolo aliquo adverſus me intorqueri. Id autem tale eſt: Catholicam Eccleſiam vulgo dici ſolere Romanam Eccleſiam. Veluti cum in Formula Fidei a Pio IV. præſcripta ſinguli Catholici ita profitemur: *Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam Romanam, omnium Eccleſiarum Matrem & Magiſtram agnoſco.*

Reſpondet primo *Petrus de Alliaco* Cardinalis in Tractatu, *Utrum Petri Eccleſia lege reguletur*, ad calcem Tomi 1. *Gerſonianorum* Operum (a): *Romana Eccleſia quandoque ſumitur pro omnibus credentibus Fidem Apoſtolicam prædicatam Romanis. Et ſic Univerſalis Eccleſia poteſt vocari Eccleſia Romana, & omnes fideles poſſunt appellari Romani . . . Et iſto modo ſecundum illos ſumitur Eccleſia Romana, ubicumque dicitur quod contra fidem errare non poteſt Eccleſia Romana: ut* 24. *q.* 1. Pudenda. *Et cap.* A recta.

Reſpondet ſecundo Illuſtriſſimus *Boſſuetus* Libro 1. cap. 1. (b) ubi cum primum ſenſum expoſuiſſet & probaſſet, alterum continuo addit æque ſanum. *Alii Romanæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ nomine, deſignatam volunt ſedem ipſam Romanam a Petro & Paulo fundatam, vereque Apoſtolicam Catholicamque eo ſenſu, quod ab ea in omnes venerandæ communionis jura dimanent: omnium Eccleſiarum Matrem & Magiſtram, quæ nos lacte alat doctrinæ ſalutaris, eamque tradat, qua vivimus omnes, Romanam fidem. Quis hæc non fateatur? Quis pro his non fundat ſanguinem? Et utrumque ſenſum ut ſumma unum ſua declaratione complexi Patres Gallicani:* Sedis Apoſtolicæ in qua fides prædicatur, & unitas ſerva-

(a) Tom. 1. *Gerſon.* p. 668. (b) Tom. 1. pag. 3.

vatur Eccleſiæ, venerandam omnibus gentibus majeſtatem colunt: & in fidei quoque quæſtionibus præcipuas Summi Pontificis eſſe partes, ejuſque Decreta ad omnes & ſingulas Eccleſias pertinere profitentur. *Quid plura poſtulas? Non præcipuam, inquis, ſed ſolam, atque in ſe omnia continentem ejus auctoritatem neceſſe eſt ut agnoſcamus*, & ab ipſo ut capite accipere Patres in Conciliis Œcumenicis congregatos, quod ſine errore recta decidant. *Hanc fidei ſummam eſſe prædicas, qua everſa, omnia quatiantur. Addis quidem ad fidem Eccleſiæ: nova profers: nos refugimus: nos ab Spiritu Sancto doceri credimus in Synodis Œcumenicis Domini Sacerdotes; quodque recta decidant, non a Summo Pontifice accipere, ſed a Spiritu Sancto, quo auctore dicant illud Apoſtolicum*: Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis. *Sed a Chriſto Doctore, a quo audierint*: Ego vobiſcum.

Quæ *Nicolaus du Bois* Doctor Lovanienſis ſuperiori ſæculo exeunte Gallis objecerat, ea mihi poſt octoginta annos nunc objicit Anonymus. Quæ Romanæ Curiæ placita, tamquam Catholicæ Fidei inconcuſſa dogmata, credi a Gallis poſtularat Theologus Belga: ea nunc a me credi poſtulat Theologus Romanus. Non mirabuntur ergo, imo probare debent æqui Lectores, quod Romanum Cenſorem iiſdem verbis confutarim, quibus adverſus Lovanienſem uſus fuit magnus *Boſſuetus*.

CA-

CAPUT V.

An ut mihi imputat Anonymus, parem ego auctoritatem paremque certitudinem tribuerim Definitionibus Pontificiis, ac Definitionibus Epiſcopalibus.

Demonſtratur ab Italica Verſione Tentaminis Theologici *egregie deceptus Anonymus. Ejuſdem mala fides convicta.* S. Agobardi Lugdunenſis *locus egregius.*

Quod de auctoritate antiquarum Synodorum Provincialium in comprimendis novis hæreſibus ſcripſi, id ex S. Auguſtino, *Illuſtriſſimo* Boſſueto, Petro Aurelio *&* Ludovico Thomaſſino *confirmatur.*

Scripſeram in Dedicatione *Tentaminis Theologici*: *Pro certo habet Romanus Pontifex, ſibi aliquod Fidei caput rite definiendi Spiritum Sanctum adeſſe, ne erret. Sed eundem afflatum proportione quadam ab Spiritu Sancto ſperare debent Epiſcopi, dummodo in regendis ovibus bonorum Paſtorum partes omnes ſtrenue exequantur*. Quid hoc verius aut caſtigatius? Verum interpres Venetus ita vertit: *Certo certius eſt, Spiritum Sanctum Pontifici aliquod doctrinæ caput rite definiendi adſiſtere, ne erret. Sed eundem afflatum ſperare debent Epiſcopi, quando in regendis ovibus ſuis boni Paſtoris officia implent*. In priori parte, quod ego ex mente Pontificis dixeram, interpres tamquam meum protulit; in altera vero, quod ego de Epiſcopis adfirmaram non abſolute, ſed proportionatim; interpres, nullam rationem habens illorum verborum *proportione quadam*, ſic expreſſit, tamquam ſi nullum diſcrimen admittendum eſſet inter Definitiones Pontificias & Definitiones Epiſcopales.

Hinc ferociſſime in me inſurgit Romanus Anonymus clamans (a) *eo tendere conatum meum, ut Romana Eccleſia nihil ceteris antecellere credatur*; quandoquidem diſerte docuerim in diſcernenda hæreſi a vera doctrina eodem lumine colluſtratum iri Epiſcopos, quo gaudet Romanus Pontifex.

Cete-

(a) Anonym. pag. 33.

Ceterum quod ego docui, Evangelio docente docui, in quo legitur: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, illic ſum ego in medio eorum.* Quod non tantum Conciliis Œcumenicis, verum etiam Provincialibus & Diœceſanis promiſſum tota agnovit antiquitas: ut patet ex iis teſtimoniis Africanorum Patrum & Octavæ Synodi Generalis, quæ in eodem Dedicationis loco commemoravi; & ex aliis Synodi Bracarenſis II. & Toletanæ XV. quæ ad *Appendicem Tentaminis Theologici* rejecta ſunt. Unum heic laudaſſe ſufficiat *S. Agobardum* Archiepiſcopum Lugdunenſem in Libro *Adverſus Legem Gundobadi*, cap. 12. *Revera ſi ſecundum dictum Domini, ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine ejus, ibi eſt Dominus in medio eorum: quanto magis ubi viginti, aut triginta, aut multo amplius congregati fuerint?*

Recte *Agobardus* ex majori numero Antiſtitum congregatorum, majorem certioremque lucem iis pollicetur: ut intelligamus pro gravitate vel neceſſitate tractandarum rerum, majorem, vel minorem fore Spiritus Sancti opem. Cumque definiendæ a Conciliis Œcumenicis cauſæ graviores ſint & magis neceſſariæ, quam quæ in particularibus Synodis agitari ſolent; primævo autem & receptiſſimo inſtituto, cujus in epiſtula ad Victricium meminit Innocentius I. cauſarum omnium majorum ſupremus & ordinarius Judex ſit extra Concilium & poſt Epiſcopos Romanus Pontifex: hinc fit, ex promiſſione Chriſti majori lumine colluſtrandas Œcumenicas Synodos, quam particulares Synodos: majori item Romanum Pontificem, quam ſingulos Epiſcopos. Atque hoc ipſum eſt, quod ego ſignificare volui, cum dixi, *proportione quadam eundem ab Spiritu Sancto afflatum ſperare debere Epiſcopos in regendis ovibus ſuis, quem in regenda univerſali Eccleſia certo ſibi adſuturum credit Romanus Pontifex.*

Attende, Romane Cenſor: *eundem* non abſolute & ſimpliciter, ſed cum addito, hoc eſt, *proportione quadam*. Quod additum ſi in Veneta Verſione omiſſum eſt, non mea illa culpa fuit, ſed interpretis. Ac longe quidem abfuiſſe me ab illorum ſententia, qui tantum

tum tribuunt Epiſcopalibus Judiciis, quantum Pontificiis Judiciis; colligere tu certo poteras cum ex aliis locis quæ præceſſerant in eadem Dedicatione, tum ex aliis quæ ſubſecuta ſunt in ipſo Operis Corpore.

Præceſſerant quidem in ipſa Dedicatione hæc: *Eſt ergo Romanus Pontifex Princeps & Caput totius Eccleſiæ. Ejus in controverſiis de Fide & Diſciplina præcipuum judicium eſt. Poteſt leges ferre & promulgare pro tota Eccleſia. Poteſt abrogare, & reſcindere, quidquid Legum & Conſtitutionum Epiſcopalium Canonibus generatim receptis adverſum & contrarium inveniatur.*

Hæc autem ſubſecuta ſunt in Corpore Operis. Nempe Principio I. Numero VIII. *Exceptis illis cauſis, quas Jus Canonicum* Majores *vocat; uni Epiſcopi erant, qui nullo interventu, nullo influxu Apoſtolicæ Sedis, omnia gubernabant, adminiſtrabant, diſponebant, ac decidebant*. Verum hæc tu vafre diſſimulaſti: quia memorata exceptione illa *Majorum Cauſarum*, (qua plane ſignificabam, *Majores Cauſas* ab ipſo mox initio Eccleſiæ Chriſtianæ ad Summum Pontificem pertinuiſſe) mox in nihilum abituram intellexiſti illam Cenſuram, qua in proxime ſequentia verba, *ut qui ſubditorum ſuorum ſupremi & abſoluti Paſtores eſſent*, iniquus Judex animadvertiſti. Qui enim *Majorum Cauſarum* deciſionem Romano Pontifici reſervat, non ille ſane Epiſcopos Pontifici pares facit.

Eadem vafritie tacuiſti, quod ego Principio V. Numero III. diſertiſſime profeſſus ſum: *Unum & potiſſimum ex Juribus Romano Primatui adnexis eſſe, ut ad Petri ſucceſſorem pertineret cura & adminiſtratio totius Eccleſiæ, eidemque ſuprema auctoritas ineſſet ad imperandam fidem & obſervationem omnium rerum cum ad dogma, tum ad Diſciplinam ſpectantium.*

In Reſponſione quoque Apologetica *adverſus Cenſuram* Gabrielis Galindi, non minori perſpicuitate oſtendi, quantum Epiſcopalibus Definitionibus præſtarent Definitiones Pontificiæ. Ibi enim Numero 27. hæc ſcripta invenies: *Ubi de proponenda fidelibus populis vero ipſo agitur, major procul dubio eſt auctoritas Summi Pontificis, quam cujuslibet alterius Epiſcopi. Major non ſolum*

ſolum extenſive , (*quod ajunt*) , *ſed etiam intenſive*. Quo ego ibidem retuli illud *Auguſtini* : *Quis neſciat* , *Apoſtolatus principatum cuilibet Epiſcopatui eſſe præferendum* , *&* *Cathedrarum diſtare gratiam* . Et illud *Gerſonis* : *Sententia Papæ ligat omnes fideles ad non dogmatizandum contrarium* .

Sed pergis tamen adhuc qua ſoles inhumanitate in me ſævire, quia Principio 1. Numero ix. hæc ſcripſi: *Siqua hæreſis vel ſuſpecta doctrina emergeret* , *Epiſcopi erant* , *qui apud ſuas Synodos & hæreſim condemnabant* . *Ita cum* Sabellio *&* Ario *egere Epiſcopi Ægyptii* : *ita cum* Eutyche *&* Severo *Thracii* : *ita cum* Pelagio *Africani* : *ita cum* Priſcilliano *Hiſpani* . *Obſervat autem recte* Petrus Aurelius, *idque citato* Aurelio *etiam obſervat* Thomaſſinus *: neminem prioribus illis ſæculis auſum eſſe declinare vel* [illegible]*ere vim horum judiciorum Epiſcopalium eo ſolo prætextu* , *quod judicia illa non eſſent infallibilia* .

Nempe & hic verba illa mea', *obſervat autem recte* Petrus Aurelius, *idque citato* Aurelio *etiam* Thomaſſinus, eadem vafritie reſecuiſti : ut ſcilicet Catholicorum Scriptorum ſuppreſſis nominibus ac ſuffragiis, deſumpta e ſolis hæreticorum Libris videretur tota mea narratio. Contendis enim (a), in ea me fidelibus populis eam doctrinam propinàre , qua ipſi facile ſibi perſuadeant, *Synodos illas particulares fuiſſe infallibiles*, *quaſi forent Œcumenicæ* ; *ac proinde ſufficientes decretorio judicio definiendis ſummis quibuſque de Religione negotiis in omni Provincia vel Regno* ; *quo admiſſo conſequens eſſe* , *ut ſtatus quilibet ſine Romana Cathedra poſſit ſe ſolo & ſine tali capite conſtituere perfectum quoddam corpus Eccleſiæ* : *quo principio revera ſtabilitum fuit Schiſma Anglicanum* .

Sed rogo te : facta illa a me narrata tu vera credis, an falſa . Si vera credis , cur tot hæretica conſectaria inde colligis? Nam ſecundum Dialecticorum Axioma, *Ex falſo quidem ſequi poteſt aliquando verum*, *ſed ex vero numquam ſequi poteſt falſum* . Si falſa autem , cur fal-

(a) Anonym. pag. 42.

falſitatis certa argumenta aliquot ex ipſa antiquitate non produxiſti?

Sed nulla tu ſane producere poteras, qui ex uno *Auguſtino* poteras addiſcere, exortas prioribus ſæculis pleraſque hæreſes non ab aliis, quam a Provincialibus Synodis fuiſſe compreſſas, & extinctas. Damnati nempe ubique terrarum a Provincialibus Synodis Pelagiani, Œcumenicam Synodum fieri poſtulabant, ubi eorum hæreſis examini denuo ſubjiceretur. Reſpondebat e contrario *Auguſtinus* Libro IV. ad *Bonifacium* cap. 12. *Numquid congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? quaſi nulla hæreſis aliquando, niſi Synodi congregatione damnata ſit. Cum potius rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit; multoque ſint incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt; atque inde per ceteras terras evitandæ innoteſcere potuerunt.*

Optime hic magnus *Boſſuetus* Lib. XIV. cap. 1. (a) *Perpendant illud*: ubi extiterunt, illic, &c. *atque illud*, inde devitandæ, &c. *nulla gravioris a Romana Sede Cenſuræ mentione. Neque enim Eccleſiæ talem ſententiam expectarunt, ut Manichæos, Ophitas, Collyridianos, Tertullianiſtas, aliasve ſectas aut horrerent, aut contemnerent.*

Atque hoc ipſum eſt, quod idem *Boſſuetus* paullo ante monuerat: *Ut ſine Conciliis Œcumenicis, ita ſine ſpeciali Romani Pontificis definitione damnatas atque extinctas fuiſſe has & alias hæreſes.*

Quid tu ad hæc reponas? an laudatiſſimo Epiſcopo pariter adfinges eorum errorem, qui Provincialium Synodorum judicia non ſecus ac Generalium infallibilia putant? Sed reluctatur ipſe mox aperte & vehementer, dum continuo ſcribit: *Ergo ne ſingulares Eccleſiæ, a quibus ſtatim rejectæ aut etiam oppreſſæ ſunt, ineluctabili auctoritate gaudebant? minime.* Cur ergo mihi paria & eadem omnino adfirmanti errorem illud imputas? Mirum certe & prorſus ridiculum videri debet, quod

(a) *Boſſuet.* Tom. II. pag. 257.

quod ex illomet loco, in quo ego Epiſcoporum judicia ex ſe & abſolute fallibilia eſſe ſuppono, tu ex mea ſententia infallibilia ponis. Perpende rurſus mea verba: *Obſervat autem recte* Petrus Aurelius, *idque citato* Aurelio *obſervat etiam* Thomaſſinus; *neminem prioribus illis ſæculis auſum eſſe declinare vel eludere vim horum judiciorum Epiſcopalium eo ſolo prætextu, quod judicia illa non eſſent infallibilia*. Vides ex ipſa narratione ſupponi hic a me *non infallibilia* judicia Epiſcoporum?

Sed quia *Aurelii* & *Thomaſſini* ut nomina, ita ſuffragia reticuiſti: audiant nunc utrumque æqui bonique Lectores. Locus *Aurelii* in Defenſione Epiſtulæ Antiſtitum Gallorum talis eſt (a): *Quis umquam hæreticorum Concilia Epiſcopalia hoc ſolo nomine eluſit, quod diceret, non eſſe infallibilis auctoritatis? Quando ita argumentati ſunt* Novatus, Pelagius, Arius, *& tot alii hæretici, quos Epiſcopi in Provinciis primum damnarunt? Nemo hoc effugio uſus eſt. Omnes vel obreptum Epiſcopis, vel ſibi calumnias inflictas, vel alias cauſationes, quibus non particulares ſolum, ſed Generales etiam Synodus ludificari ſolebant, protulerunt; vel exorto ore & hæretica petulantia reclamarunt. Non quærebatur illis temporibus, quænam Epiſcoporum Concilia errori obnoxia, quænam certæ veritatis eſſent. Omnes omnia colebant, omnia venerabantur, ut Paſtorum vocem; ut Magiſtrorum Eccleſiæ doctrinam; ut eorum quibus dictum eſſet, Qui vos audit me audit. Itaque* Priſcillianam *doctrinam poſtquam a Synodo Cæſarauguſtana damnata eſt; Origeniſticam, poſtquam ab Alexandrina; Eutychianam, poſtquam a Conſtantinopolitana ſub* Flaviano *habita*: Arianam *poſtquam ab* Alexandrina, *ut alias prætercam; nemo Catholicus hæreſes eſſe negavit, earumve ſuſpectores hæreticos, etiam ſi ſolis Epiſcoporum Provincialium judiciis damnati eſſent. Quod egregie confirmat* Hieronymus *in epiſt. ad* Pammachium, *&c.*

Hunc *Aurelii* locum, ut dixi, ſuum fecit *Thomaſſinus* in diſſertatione in Synodum Gangrenſem, poſtquam

(a) *Aurel.* Tom. 1. pag. 33.

quam hæc præmonuiſſet (a): *Opere pretium erit, ſi recentiores quoque e Catholicis aſtipulatores accerſiverimus hujus doctrinæ, quæ in omni Theologica re dominatur, atque una ſufficit, ſi animo penitus inhæſerit, ad omnes novellarum hæreſium protelandos, nulloque vel minimo conatu propulſandos aſſultus.*

En unde deſumpta eſt mea narratio, ab Romano Anonymo tot maledictis proſciſſa: en quibus auctoribus ſcripſi, quæ de auctoritate Judiciorum Epiſcopalium ſcripſi. Quæ doctrina *Aurelio* & *Thomaſſino* apta & ſufficiens viſa eſt ad omnes novellarum hæreſim propulſandos aſſultus; ea ali & firmari hæreſim, vociferatur Romanus Cenſor.

CAPUT VI.

De illa S. Columbani *ſententia ad Bonifacium Papam*, Tamdiu poteſtas apud vos erit, quamdiu recta ratio permanſerit, *Romani Anonymi nugæ & cavillationes.*

Verus ſenſus illius dicti Evangelici, Super Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, &c.

Cæca obedientia Pontificis præceptis exhibenda, quam ex illo Evangelii loco adſtruere conatur Anonymus, deſtructa ex Gloſſa, Janſenio *&* Maldonato.

Cur damnationi Queſnellianæ *Propoſitionis* XCI. *ſubſcribere recuſarint tam multi Galliæ Epiſcopi ac Doctores.*

In eam rem egregia teſtimonia Polycratis Epheſini, Gregorii Magni, Auxilii *Presbyteri Romani*; Gratiani, Gerſonis, *&* Boſſueti.

Cenſuræ Pariſienſis Facultatis adverſus Propoſitionem Joannis Angeli.

Matthæi Pariſienſis *in Hiſtoria Anglorum locus memorabilis.*

Formula apud Theologos, & Canoniſtas ſolemnis, CLAVE NON ERRANTE. *De ea* Joannis Pariſienſis *obſervatio.*

D 3 *Abu-*

(a) *Thomaſſ.* ad calcem Tomi III. Theolog. Dogm. pag. 33. Ven. edit.

Abuſui Poteſtatis Pontificiæ quomodo reſiſtendum. Turrecremata, Cajetano, Silveſtro, Franciſco de Victoria.

MIrificus calumniarum conſarcinator Romanus Anonymus, cum in Dedicatione *Tentaminis* mei legiſſet: eandem Spiritus Sancti lucem qua perfundi creditur Pontifex, *ſperare proportionem debere Epiſcopos, cum in regendis ovibus ſuis bonorum Paſtorum partes omnes ſtrenue fuerint executi*; In fine autem Principii x. laudatam a me offendiſſet ſententiam illam *S. Columbani Bobienſis* Abbatis ad Papam Bonifacium: *Tamdiu poteſtas apud vos erit, quamdiu recta ratio permanſerit. Ille enim certus regni cælorum clavicularius eſt, qui dignis per veram ſententiam aperit, & indignis claudit*. Cum, inquam, duo hæc loca legiſſet, & inter ſe contuliſſet Romanus Cenſor; mox novam hæreſim comminiſcens a me procuſam contendit, traditam illis in locis doctrinam adfinem eſſe *doctrinæ hæreticorum novatorum, qui vel ipſam plebeculam docent, non conſiderandam auctoritatem Cathedræ, ſed merita Præſidentium & rationum pondera attendenda*. Cui hæreſi Anonymus ſtatim opponit ex Evangelio (a): *Super Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi: Quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite*; *opera autem eorum nolite facere*.

Macte animi virtute, inſignis novorum hæreticorum debellator, qui tam divino, tam luculento, tam decretorio teſtimonio *profanas vocum novitates* penitus evertiſti! Me vero vel impium, vel imperitum, qui Evangelicam doctrinam adeo obviam, adeo apertam impugnavi! qui in ſinu Catholicæ Eccleſiæ Dei gratia natus & educatus, ad Novatores tanto beneficio ingratus transfugi, *judicialem* ipſius Eccleſiæ *auctoritatem* (ut tu exiſtimas) cum *Melancthone* & *Burneto* de medio ſublaturus! Sed tantiſper, quæſo, præcipitem cenſuram cohibe: nam Deo favente videor mihi non difficiliter probaturus, longe alium ſenſum meis verbis & Chriſti ineſſe, quam qui a te obtenditur. Nam quod ad

(a) Anonym. pag. 35. & 361.

ad priorem locum ſpectat, cum in Dedicatione ſcripſi, adfuturam quoque ab Spiritu Sancto Epiſcopis ſuam lucem, *ubi illi in regendis ovibus ſuis bonorum Paſtorum partes omnes ſtrenue fuerint executi:* paullo ante illa præceſſerant: *Pontifici caput aliquod Fidei rite definienti adeſſe Spiritum Sanctum, ne erret.* Ergo cum in ſequentibus divinam quoque operam Epiſcopis ſum pollicitus ſub ea conditione, quod in ovibus ſuis regendis *bonorum Paſtorum partes omnes ipſi ſtrenue exequerentur:* ſatis ſuperque oſtendi, conditionem poſitam non verſari circa Antiſtitum merita, ſed circa diligentiam ab ipſis adhibendam in indaganda & proponenda ſubditis populis Catholica doctrina.

Porro hanc diligentiam vel ipſi Summo Pontifici neceſſariam eſſe, ne in definiendo erret, conſtans eſt coriatiorum omnium Theologorum, & ipſius etiam *Bellarmini* ſententia. Omnes enim docent, non ludentibus, non pigritantibus, non temere ac præcipitanter agentibus, ſed diligentibus, prudentibus, & pro adſequenda veritate laborantibus, lucem opemque ſuam promiſiſſe Chriſtum. Hinc vel in ipſis Synodis Œcumenicis tot diſputationes, tot examina, tot cautiones, antequam ad dogmatis definitionem deveniatur.

Audiatur Dominicus *Banneſius* in 2. 2. quæſt. 1. art. 10. (a) *Papa & Concilium non poſſunt relinquere illam diligentiam, neque relinquent illam unquam, cum res fidei definire parant. Et hoc eſt tam certum, quam certum eſt, non poſſe Concilia & Pontificem errare.*

Audiatur *Franciſcus Araugius* in eundem locum *Aquinatis* quæſt. 1. art. 10. dub. 3. *Sententiæ tenenti, & neceſſitate præcepti & neceſſitate medii eſſe hanc præviam conſultationem neceſſariam, ſubſcribo propter tria, &c.*

Cardinalis *Bellarminus* Lib. 1. *de Conciliis & Eccleſia*, cap. XI. (b) *Pontifex in rebus Fidei dijudicandis non debet ſoli ſuo judicio fidere, aut expectare novam revelationem; ſed adhibere diligentiam, quantam res tanta poſtulat, & ordinaria media; & tum demum expectare aſſiſtentiam Spiritus Sancti.*

(a) *Bannes* Tom. III. pag. 64. (b) *Bellarm.* tom. II. pag. 10.

Cardinalis de *Lugo* Diſt. I. de Fide, ſect. III. §. I. (a) *Quando Pontifex vel Concilium univerſale aliquid proponit & definit, licet non poſſit falſum dogma proponere, præmittendum tamen eſt examen & inquiſitio ſufficiens: quia Dei aſſiſtentia promiſſa non abſtulit a Pontifice obligationem, quam de jure naturæ habebat examinandi prudenter, quæ proponit Eccleſiæ.*

Euſebius Amortus de Fide diſp. I. quæſt. IV. (b) *Si Papa ſine adhibita prius diligentia & maturo examine, vellet ſtatim definire omnes controverſias Catholicas, pauci eſſent Theologi, qui ejuſmodi definitiones adorare vellent pro infallibili oraculo Spiritus Sancti.*

Similia habet *Canus* Lib. VI. *de Locis Theologicis* cap. 7. *Bagotius in Apologia Fidei* Lib. IV. diſp. III. cap. 3. *Muratorius de Ingeniorum Moderatione in Religionis Negotio*, Lib. I. cap. 19. & alii paſſim.

Jam ſi quis cum Romano Anonymo tot tantoſque Theologos reprehendendos diceret, quaſi ex illorum doctrina eſſet conſequens, non prius ſive Pontificis ſive Epiſcoporum Definitiones amplectendas, quam Definitionum ipſarum fundamenta examinarentur: ſtrenue illi quidem & intrepide tali cenſuræ obloquerentur, & merito ſane obloquerentur. Nam aliud eſt Pontifici & Epiſcopis præſcribere, quæ partes in Paſtorali officio ſint implendæ: aliud decernere, non ante audiendam aut ſequendam Pontificis & Epiſcoporum vocem, quam nobis conſtiterit, recta illos vel definiſſe vel præcepiſſe. Prius illud omnium Catholicorum Theologorum eſt: poſterius vero, ſi eo ſenſu tradatur, ut privato cuilibet liceat, & paſſim liceat, obedientiam Eccleſiaſticis Definitionibus ac Decretis exhibendam privato judicio ſuo metiri, non alios, fateor, quam hæreticos adſertores habet.

Quoniam tamen fieri nonnumquam poteſt, imo perſæpe fit, ut clave errante multa imperentur ac decernantur: illud ſecundo loco inquirendum ac diſcutiendum eſt, quibus limitibus coercenda ſit, cum auctoritas Eccleſiaſtica Paſtorum, tum obedientia fidelium ſubdito-

(a) *Lugo* pag. 43. (b) *Amort.* Tom. I. pag. 25.

ditorum. Eo enim nos ducit ſententia *S. Columbani* a Romano Anonymo tam acriter exagitata.

Negat ille *Columbani* eſſe illam ſententiam, quam dicit *Melancthoni* potius hæretico, quam *Columbano* Catholico adſcribendam. At *Columbano* tribuit *Bibliotheca Patrum*, tribuit *Boſſuetus*, tribuit *Baluzius*, tribuit *Dupinus*, tribuit *Cellierius*, tribuit *Caveus*, tribuit paſſim doctiſſimus quiſque.

Fundamenta alia non producit Anonymus, quam quod illa epiſtula ad Papam *Bonifacium* non invenitur in vita *Columbani* apud *Mabillonium* extante: & quod in ea epiſtula multa occurrunt inter ſe pugnantia. At ſi propter ſilentium ejus, qui *Columbani* vitam litteris conſignavit, abjudicanda *Columbano* eſt illa epiſtula; abjudicanda quoque erunt *Auguſtino* multa indubitatiſſima ſcripta, quæ in ejus vita non memoravit *Poſſidius*: abjudicanda antiquis Patribus, quæcumque *Hieronymus* prætermiſit in Libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*.

Quod vero ſpectat ad ſummam ipſam epiſtulæ, eam Illuſtriſſimus *Boſſuetus* Libr. xiv. cap. 25. totam expendit: & cum ſingulas ejus partes, eam etiam quæ a Romano Cenſore proſcinditur, diligenter excuſſiſſet; nihil in ea impium, nihil abſurdum, nihil repugnans invenit; ſed multa inde tamquam egregie dicta laudavit. Quare epiſtulam *Columbani* ceteris Monumentis ille adjunxit, quibus probaretur (a): *Viris ſanctis boniſque fraudi non fuiſſe, quod Romani Pontificis recta etiam ſentientis pronunciato non ſtatim adhæſerint, antequam ſcilicet Catholicæ Eccleſiæ auctoritas acceſſiſſet*. Et capiti ipſi xxv. hoc argumentum adſignavit: *Bonifacius III. ſeu IV. eadem cauſa Sancto Columbano Presbytero ſuſpectus*. *Baluzius* vero *in Notis ad Cypriani* epiſtulam lxxiii. poſtquam ex *Columbano* retuliſſet eandem illam ſententiam, *Tamdiu poteſtas apud vos erit, &c.* hæc continuo adjunxit (b): *Hæc inſinuanda ſunt Romanis. Multi enim Romani Pontifices ab hac regula diſceſſerunt.* Qui

(a) *Boſſuet.* tom. ii. pag. 288. (b) *Cypr. Bal.* pag. 501.

Qui hæc ſcribebant, qui ita de *Columbani* epiſtula ſentiebant; non potuiſſent utique non irridere, quod Anonymus addidit (a): *Supponi etiam poteſt hæc ſcripſiſſe* Columbanum, *cum ex Ibernia in Italiam recens advectus, qua ſimplicitate erat, ab ſchiſmaticis inſidiatoribus deceptus eſſet. Sed infallibiliter ſupponi debet, ſcriptorum illum tandem pœnituiſſe.*

Jam ergo Romano Anonymo judice, Catholicus non fuit non ſolum *Columbanus*, dum talem ſcripſit epiſtulam; ſed etiam *Boſſuetus*, ſed etiam *Baluzius*, qui ſcriptam a *Columbano* laudarunt. Quare autem non Catholici? Quoniam ſententia quæ *Columbano* tribuitur, & quam ut *Columbani* laudarunt *Boſſuetus* & *Baluzius*; ea judice Romano Anonymo, aperte pugnat cum illa Chriſti doctrina: *Super Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi. Quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite.*

Sed bona verba quæſo, vir humaniſſime. Neque enim ignorare potes, obedientiam hic a Chriſto præſcriptam, ex omnium interpretum ſenſu non eſſe obedientiam quandam cæcam, non præcipitem; ſed diſcretam, & cautam: quæ ut nihil eorum, quæ ſecundum Dei legem & rectam rationem imperantur, negligit; ita omnia, quæ vel divinæ legi vel rectæ rationi adverſari videt, impigre reſpuit.

Gloſſa ad illud Deuteronomii VII. *Et docuerint te juxta legem ejus*, hæc habet: *Nota, non dicitur tibi ut obedias, niſi juxta legem docuerint. Unde ſuper Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi.*

Janſenius cap. CXX. Concordantiæ: *Non eſt illis obediendum, quando contra Cathedram aliquid vel præcipiunt vel docent. Nam non dicit Dominus, omnia quæcumque docuerint vos, ſed quæcumque dixerint, ſive ſcilicet docendo ex ipſa lege, ſive jubendo.*

Maldonatus in Matth. XXIII. 3. *Cum jubet ſervare ac facere quæ Scribæ & Phariſæi, dum in Cathedra Moyſis ſedent, dicunt; non de ipſorum, ſed de legis ac Moyſis doctri-*

(a) Anonym. pag. 362.

doctrina loquitur. Perinde enim eſt, ac ſi dicat, omnia quæ lex & Moyſes dixerint.

Profecto ſi quæcumque Eccleſiaſtici Antiſtites docent ac præcipiunt, cæco quodam impetu amplectenda & ſequenda eſſent: non hæc, dum de tempore celebrandi Paſchatis controverſia moveretur, in Decretum Victoris Romani Pontificis ſcriberet *Polycrates* Epheſius, quæ apud *Euſebium* Lib. v. cap. 24. legimus: *Quinque & ſexaginta annos natus, nihil moveor iis, quæ nobis ad formidinem intentantur. Qui enim majores me ſunt, dixerunt: Obedire oportet Deo magis quam hominibus.*

Non ſcriberet *Gregorius Magnus*, quæ a *Gratiano* memorantur Cauſa 11. q. 7. *Admonendi ſunt ſubditi, ne plus quam expedit ſint ſubjecti; ne cum ſtudent pluſquam neceſſe eſt hominibus ſubjici, compellantur eorum vitia venerari.*

Non hæc ſcriberet *Auxilius* Romanus Presbyter ſæculo x. quæ in Dialogo *Inſenſor & Defenſor* inſcripto leguntur cap. xiv. *Quod aliud ſunt Pontificales Sedes, aliud Præſidentes: Quod honor & dignitas uniuſcuiſque ſedis regulariter obſervanda ſunt: Præſidentes autem ſi deviaverint, per devia ſequendi non ſunt; hoc eſt, ſi contra fidem, vel Catholicam Religionem jubere cœperunt.*

Non hæc ſcriberet *Gratianus*, quæ ad cap. 1. diſt. xix. ſatis obvia & aperta ſunt in Decreto. Cum enim multa ibi de Pontificiarum Sanctionum auctoritate, deque obedientia illis exhibenda eſſet locutus, in hunc modum proſequitur: *Hoc autem intelligendum eſt de illis Sanctionibus vel Decretalibus Epiſtulis, in quibus nec præcedentium Patrum Decretis, nec Evangelicis præceptis aliquid contrarium invenitur.*

Non hæc ſcriberet *Joannes Gerſon*, quæ leguntur in Tractatu *de Statu Prælatorum*, conſid. iv. (a) *Status Epiſcopalis ſubeſt rationabili voluntati Papæ ad utilitatem Eccleſiæ, ut dictum eſt. Hæc autem rationabilitas videtur attendenda ſeu regulanda, maxime per determinationes Conciliorum Generalium, præſertim jam factas de conſenſu & auctoritate Summorum Pontificum.*

Non

(a) Tom. ii. pag. 532.

Non denique hæc ſcriberet Illuſtriſſimus *Boſſuetus* Lib. I. cap. I. (a) *Quid, ſi quis jam dixerit, eo quod Romano Pontifici jure divino ab omnibus obedientia vera deberi fide Catholica credatur; quidquid ille ſcripſerit, edixerit, juſſerit, quocumque in negotio, in jure, in facto, in Eccleſia, in Republica, nihil niſi obediendum eſſe; neque umquam obripi poſſe, aut mala ſuaderi, occupatiſſimo licet; ſed ſtandum ubique jubentis voluntati, in eoque veram repoſitam eſſe pietatem. Inſaniet, inquis certe. Ergo illi obedientiæ tam juſtæ, tam neceſſariæ, ſua quoque adhibenda cautio eſt. Quænam illa ſit, quouſque pateat, quid Concilia, quid Canones, quid ipſi Romani Pontifices, quid denique Scriptura, & Scripturæ interpres Traditio poſcat, quoniam ambigua res eſt, pacifice & amice quærere: non ſtatim omnia clamoribus miſcere non deceat.*

Et rurſus Libro III. cap. x. (b) *Obedire certo Romano Pontifici dicebas neceſſarium cum hac cautione, niſi contra divina præcepta, contra Canones ſumme neceſſarios, contra publicam Eccleſiæ tranquillitatem aliquid edixerit? At quanto æquior erit excuſatio, ſi contra ipſam fidem? At enim id poſſibile non eſt. Aſſertionem tuam audio, probationes requiro: volvis nos in circulum: uno verbo, principium petis. Papæ obediendum eſt in fidei negotio, quia eſt infallibilis: infallibilis eſt, quia obediendum ei eſt in fidei negotio. Nos clare Decreta ejus de fide eandem ac reliqua, habere exceptionem; nempe hanc, niſi contra Dei leges ac traditionem edixerit.*

Certiſſimæ huic doctrinæ inhærens Sacra Facultas Pariſienſis; anno MCCCCLXXXII. ſequentem propoſitionem *Joannis Angeli* Franciſcani: *Quicumque contradicit voluntati Papæ paganizat, & ſententiam excommunicationis incurrit ipſo facto: & in nullo Papa reprehendi poteſt, niſi in materia hæreſis*: hac cenſura inuſſit apud *Bullæum* in Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis (c): *Hæc propoſitio eſt falſa, ſcandaloſa, & ſapiens hæreſim manifeſtam.*

Ne-

(a) Tom. I. pag. 4.
(b) Ibid. pag. 80.
(c) *Bullæus* Tom. V. pag. 754.

Neque alia de cauſa damnationi *Queſnellianæ* Propoſitionis nonageſimæ primæ, *Excommunicationis injuſtæ metus non debet nos impedire ab implendo officio noſtro*, ſubſcribere tam diu & tam obſirmate recuſarunt viginti Galliæ Epiſcopi, ipſaque Pariſienſis Academia: niſi quod Propoſitione illa damnata, ad faſtigium Catholici dogmatis evehi a Romano Pontifice videbatur cæca illa obedientia, quam Eccleſiaſticis Decretis ac Cenſuris quibuſcumque & qualibuſcumque impendi volunt Romani Curiales. Legatur *Inſtrumentum Appellationis* anno MDCCXVII. (a) interjectæ a quatuor Epiſcopis, Mirapiſcenſi, Senecenſi, Montis Peſſulani, & Bolonienſi, tom. I. Collectionis Galliæ nuperrime evulgatæ, cui titulus eſt: *La Conſtitution* Unigenitus *deferée a l'Egliſe Univerſelle, ou Recueil General des Actes d' Appel, &c.* Coloniæ 1769.

Nugatur ergo Anonymus Romanus dum verba Chriſti, *ſuper Cathedram Moyſis ſederunt, &c.* eo trahit, ut Pontifici aliquid definienti vel imperanti numquam liceat obſiſtere ac repugnare. Inſanit vero, dum *Columbani* ſententiam, *Tamdiu poteſtas apud vos erit, quamdiu recta ratio permanſerit*, dicit *a Catholica profeſſione alienam, novatorum propriam, & ab ſchiſmaticis inſpiratam*. Quaſi non eodem ſenſu, licet diverſis verbis docuerit *Gregorius* Homilia XXVI. in Evangelia, quod ex *Gregorio* retulit *Gratianus* Cauſa XI. q. III. *Sæpe in ligandis ac ſolvendis ſubditis Paſtor ſuæ voluntatis motus, non autem cauſarum merita ſequitur. Unde fit, ut ipſe hac ligandi & ſolvendi poteſtate ſe privet, qui hanc pro ſuis voluntatibus exercet.*

Planum eſt in hoc *Gregorii* loco, ſicut in illo altero *Columbani*, *poteſtatis* nomine non deſignari poteſtatem ipſam, ſed effectum poteſtatis. Quo ſenſu in Hiſtoria Anglorum ad ann. MCCXLVII. de Innocentio Papa IV. auctoritate Primatus ſui abutente hæc ſcribebat eodem illo ſæculo *Matthæus Pariſienſis* (b): *Videbant omnes & ſinguli, & videntes ſentiebant, ipſum Dominum Papam pecu-*

(a) *Recueil* tom. I. p. 17. (b) *Matt. Pariſ.* pag. 719.

pecuniæ & pecuniarum rapinis in multorum damnum & depauperationem inſatiabiliter inhiare. NEC CREDEBANT JAM MULTI, *ipſum poteſtatem B. Petro conceſſam cælitus, videlicet ligandi & ſolvendi obtinere*, QUI PENITUS B. PETRO DISSIMILIS PROBATUR.

Eodem ſenſu apud Theologos & Canoniſtas ratum pervulgatumque eſt, ſententias Eccleſiaſticorum Judicum eatenus valere, quatenus *clave non errante* proferuntur. *Joannes de Pariſiis* in Libro *de Poteſtate Regia & Papali* cap. xv. ex *Ricardo de S. Victore*: *Non dicit Dominus, Quodcumque volueris ſolvere & ligare; ſed Quodcumque ligaveris & ſolveris: ligat autem Sacerdos ſententia juſta, non injuſta. Unde vulgaris formula*, CLAVE NON ERRANTE. Qui plura deſideret, legat Notas meas ad *Tentamen Theologicum Latinum*, pag. 306. & ſeq.

Dixerit fortaſſe Romanus Ariſtarchus, non poſſe cadere in Vicarium Chriſti & Succeſſorem Petri ejuſmodi juſſiones, quibus obſiſtere & refragari neceſſe ſit. Sed hanc ſententiam mox refutabunt vel ii, qui Pontificiæ dignitatis acerrimi vindices habentur; quales fuut *Turrecremata*, *Cajetanus*, *Silveſter*, *Franciſcus de Victoria*.

Unus pro omnibus audiatur *Victoria*, qui in Relectione 11. *de Poteſtate Eccleſiæ*, Numero 18. ſic ſcribit (a): *Non ſemper mandatum Papæ aut diſpenſatio obligat ſubditos ad parendum. Nec loquor hic de caſu, quod Papa aliquod præcipiat contra jus divinum; (hoc enim forte numquam contigit, nec continget) ſed extra talem caſum*. Et Numero 22. (b) *Poſſent Epiſcopi vel Concilium Provinciale per ſe reſiſtere tali mandato, vel etiam implorare Principes, ut auctoritate eorum reſiſterent Summo Pontifici, impediendo executionem mandatorum ejus*. Laudat paullo poſt e *Cajetano* de Auctoritate Papæ ſupra Concilium cap. 27. *Reſiſtendum eſt ergo etiam in faciem Papæ dilaniantis Eccleſiam, verbi gratia ſi non vult dare Beneficia Eccleſiaſtica niſi pro pecunia, aut permutatione officii*: ET CUM OMNI OBEDIENTIA ET RE-VE-

(a) *Victoria* pag. 155. (b) Ibid. pag. 160.

VERENTIA NEGANDA EST POSSESSIO TALIUM BENEFICIORUM *iis*, *qui emerunt*. Laudat e *Silveſtro* in Summa, V. Papa §. 4. *Papæ non eſt obediendum in malis*, *ſed reſiſtendum per honeſtam reprehenſionem*. *Unde ſi vellet totum theſaurum Eccleſiæ aut patrimonium Petri dare parentibus*, *vel ejus Eccleſiam deſtruere*, *vel hujuſmodi*: *non eſſet permittendum*, *ſed reſiſtendum*. *Et ratio eſt* QUIA IN DESTRUENDO NIHIL POTEST ; *& ſi de deſtructione conſtat poteſt reſiſti*.

Pergit *Victoria* Numero 23. in hunc modum dicere (a): *Non ſolum liceret non parere talibus mandatis*, SED ETIAM LICERET FACTO ET VI, *ſi opus eſſet*, RESISTERE ILLIS, ET IMPEDIRE ARMIS EXECUTIONEM TALIUM MANDATORUM; *& maxime intercedente publica auctoritate*, *ut Principis*; ET COMPREHENDERE ET PUNIRE EXECUTORES TALIUM MANDATORUM.

Tandem Numero 24. (b) *Propter injuſtas diſpenſationes*, *vel mandata inſolentia*, *quæ in perniciem Eccleſiæ procedunt*, *poſſet convocari & congregari Concilium* CONTRA VOLUNTATEM PAPÆ, *ut ſi reſiſteret*, *obviaret ejus inſolentiæ*. *Hoc expreſſe tenet* Silveſter V. *Papa*, §. 4. *Hoc expreſſe tenet* Turrecremata *aſſertor vehementiſſimus Pontificiæ dignitatis*, *Lib.* III. *cap.* 10.

CAP.

(a) Ibid. pag. 161. (b) Ibid. pag. 162.

CAPUT VII.

An graviori aliqua cenſura dignum ſit, (ut Romano Anonymo videtur) quod ego adfirmavi: fieri poſſe, ut Petri ſucceſſor ſchiſmaticus evadat.

Demonſtratur ex Gregorio de Valentia *&* Andrea Duvallio, *doctrinæ meæ ſuffragari omnes Theologos.*

Quomodo erga Liberium, Pelagium I. *&* Paſchalem II. *ſe geſſerint Catholici Antiſtites.*

Quo ſenſu Liberio *anathema dictum ab* Hilario Pictavienſi.

Firmiliani *Cæſarienſis locus de* Stephano *Romano Pontifice. Alter* Columbani *Abbatis de Bonifacio. De eodem obſervatio Illuſtriſſimi* Boſſueti.

Schiſma non perſonam Papæ, ſed officium reſpicit, ex Cajetano.

PRincipio v. Numero xvi. hæc leguntur a me tradita in *Tentamine Theologico*: *Singuli quidem fideles pro ſchiſmaticis habendi erunt, ſi ſuperiorem ſibi non agnoſcant Petri ſucceſſorem. Sed & ipſe Petri ſucceſſor pro ſchiſmatico erit habendus, ſi Catholicæ Eccleſiæ ſubeſſe nolit.*

His lectis exhorruit, qua pietate & teneritudine eſt in Romanum Pontificem, Romanus Anonymus (a): dictumque meum, quo fidei zelo eſt animatus, ſtatim his adnumeravit, quæ ad fovendam hæreſim & conflandum ſchiſma omnino pertinerent. Multas igitur paginas implet, ut demonſtret, numquam factum eſſe, numquam fieri poſſe, ut certus Petri ſucceſſor ſchiſmaticus evadat.

Ergone omnino novum in Theologia & inter Catholicos Doctores inauditum, quod ſcripſi? Vah inſidiator & impoſtor malevole! qui ut in Librum meum publicum odium concitares, ignorare te ſimulaſti, quæ laterent neminem.

Quis

(a) Anonym. pag. 34. & 396.

Quis enim vel in Theologia hoſpes ignoret, Catholicam Eccleſiam eſſe myſticum quoddam corpus, cujus Papa membrum ſit non minus, quam quilibet fidelium? At ſi reliqui fideles per ſuperbiam vel contumaciam ſe ab hoc corpore ſeparare poſſunt, ut ſingulos poſſe nemo diffitetur; quid, quæſo, prohibebit, quominus & Papa per ſuperbiam vel contumaciam ab hoc corpore ſe abſcindat? An ſingulari privilegio aliquo donati a Chriſto ſunt omnes ejus Vicarii, ut nullus poſſit ab Eccleſia Matre ſua deficere?

Canoniſtarum omnium vox eſt in *Gratiani* Decreto ab ipſis Romanis Pontificibus adprobata, fieri poſſe, ut Petri ſucceſſor in hæreſim prolabatur. (Cap. *Si Papa*, diſt. 40.) Quid ni etiam in ſchiſma?

De Theologis duos audire ſatis ſit Romano Anonymo non ſuſpectos, & ex quorum dictis meridiana luce clarius fiat, graviorum omnium Doctorum calculis comprobari, quod ego docui, poſſe ſchiſmaticum eſſe Romanum Pontificem.

Primus eſt *Gregorius de Valentia*, qui tom.III. diſp.III. qu.XV. *de Schiſmate* Puncto I. in hunc modum diſſerit, prout didici a *Launojo*: *Quarta propoſitio. Si ſpectemus rationem ipſam ſchiſmatis, nullum eſt membrum Eccleſiæ, quod non poſſit aliquo modo ex prædictis committere iſtud ſchiſmatis peccatum*, ATQUE ADEO IPSA PERSONA SUMMI PONTIFICIS. *Ita adfirmat* Joannes a Turrecremata *Lib.* IV. Summæ de Eccleſia, *part.* I. *cap.* XI. Cajetanus *hic art.* I. *&* Bannes *ibi*. *Probatur primo auctoritate* Cypriani, *qui ita omnino videtur ſupponere in epiſtula ad* Antonianum. Et relatis *Cypriani* verbis ſubnectit Valentia: *Secundo probatur manifeſta ratione ſic: Omne membrum Eccleſiæ, atque adeo etiam perſona Summi Pontificis, poteſt ſe aliquo modo ſeparare ab unitate corporis Eccleſiæ: ergo poteſt committere aliquo modo peccatum ſchiſmatis. Conſequentia eſt evidens ex ratione ſchiſmatis. Antecedens probatur dupliciter. Primo, omne illud membrum poteſt ſejungi & divelli ab unitate corporis Eccleſiæ, ſine cujus conjunctione poteſt ipſa unitas Eccleſiæ manere: ſed hæc poteſt manere ſine conjunctione cujuſcumque membri cum illa*, ATQUE ADEO SINE CONJUNCTIO-

NE PERSONÆ PAPÆ, *ut patet quando Sedes vacat, ergo, &c. Secundo: Nam poſſet Papæ perſona nolle ullo modo, neque ut Papa, neque ut alia pars, communicare cum reliquo corpore Eccleſiæ; ſed ſolum vivere & gerere ſe ut Dominum temporalem, ſicut ait* Cajetanus. *Item poſſet nolle ſe cum aliis fidelibus conformare in ritibus Eccleſiæ univerſalis, ut ſi nollet celebrare in veſtibus & locis ſacris, aut cum luminaribus, aut ſignare ſe ſigno Crucis, &c. ut ait ibi ſupra* Turrecremata. *In quibus caſibus ſine dubio ab Eccleſiæ unitate ſe aliquo modo ſepararet, ſicut etiam ſi totam Eccleſiam excommunicaret, ut ait* Cajetanus: *eo enim ipſo nollet quidquam communionis habere cum ipſa.*

Alter eſt *Andreas Duvallius*, qui in Tractatu *de Suprema Romani Pontificis Poteſtate* hæc habet ab Illuſtriſſimo *Boſſueto* deſcripta: Turrecremata & Cajetanus, *dignitatis Pontificiæ acerrimi propugnatores adfirmant*, PAPAM POSSE ESSE SCHISMATICUM HIS TRIBUS CASIBUS. *Primo, ſi ſe a communione totius Eccleſiæ & omnium Epiſcoporum ob aliquam cauſam injuſtam ſeparet, & ſolum cum aliquibus ſibi cohærentibus communicare vellet. Secundo: ſi nolit amplius officio Pontificis fungi, nec tamen ſubeſſe ei, qui pro ſe eligeretur, ſed ſe ſchiſmaticorum conventiculis adjungeret. Tertio: ſi antiquos ritus ab Apoſtolica traditione manantes immutare vellet.*

En quot modis, & quibus modis, ex ſententia etiam Theologorum Ultramontanis placitis addictiorum fieri poſſit, ut Romanus Pontifex ſchiſmaticus evadat, & ut ſchiſmaticus non minus quam hæreticus ſit dejiciendus. Ut nemo jam miretur, quod eandem doctrinam amplexi quoque fuerint cum Illuſtriſſimus *Boſſuetus* Lib. XV. cap. XXXII. tum *Launojus* in epiſtula ad *Ludovicum Cuſinum*, quæ eſt octava Libri I.

Sed quoniam ubi de Theologicis controverſiis agitur, potior antiquorum Patrum, quam nuperorum Scriptorum auctoritas ſemper habenda eſt: ecce tibi ſæculo quarto *Liberius*, certus & indubitatus Romanus Pontifex, quocum ob ſubſcriptionem formulæ Sirmienſis, & ob amotum a ſua communione *Athanaſium* Alexandrinum, tamquam cum hæretico & ſchiſmatico commu-

municare noluerunt in ipſa urbe Roma *S. Damaſus* tum Presbyter, *S. Euſebius* Martyr, & multi alii e clero: id quod nos docent Acta *S. Euſebii* Martyris, a *Baluzio* Miſcellaneorum tom. 11. (a) poſt *Mombritium* & *Baronium* publicata, & a me in *Appendice Tentaminis Theologici* deſcripta (b).

Ecce ſeculo ſexto *Pelagius I.* certus & indubitatus Romanus Pontifex, purgans ſe non ſolum apud *univerſum populum Dei*, (ſic enim inſcribitur epiſtula) verum etiam apud *Childebertum* Regem Galliæ; & apud Epiſcopos Tuſciæ; quibus ob adprobatam a *Pelagio* Quintam Synodum, ſuſpecta erat ejus fides. Pleriſque enim Occidentalibus Quinta Synodus tunc temporis videbatur Concilii Chalcedonenſis, & *Sancti Leonis* fidem infregiſſe. Eas autem de ſe ſuſpiciones ut amoliretur *Pelagius*, profeſſionem fidei publicam emiſit, in qua a ſe anathematizari declaravit, quidquid *S.Leonis* & Chalcedonenſis Concilii definitionibus eſſet adverſum.

In epiſtula *ad univerſum populum Dei* hæc ſcripſit *Pelagius I. Id autem eſt, ut fidem meam annexa ſubter profeſſione definiam; in qua, Deo propitio, & rectæ me Apoſtolorum doctrinæ, & Patrum inhærere veſtigiis, evidenter appareat*. In epiſtula autem ad Epiſcopos Tuſciæ: *Nos ſecundum Apoſtolicam ſententiam parati ſumus* AD SATISFACTIONEM OMNI POSCENTI RATIONEM DE EA, QUÆ IN NOBIS EST FIDE; *quia in nullo nos a Sanctis Patribus deviaſſe cognovimus*. Denique ad Childebertum Regem: *Ut deinceps nullius, quod abſit, ſuſpicionis reſideret occaſio, etiam aliam partem facere maturavi, ſcilicet propriis verbis confeſſionem fidei, quam tenemus, exponens*.

Vexatus ſubditorum ſuſpicionibus & expoſtulationibus, non perſonæ dignitatem, non Cathedræ auctoritatem obtendit: nullum privilegium Romano Pontificatui adnexum, quo ipſe vel ab hæreſi vel a ſchiſmate credatur exemptus, objicit *Pelagius*. Ut hic manifeſte

(a) *Baluz.* Tom. 11. pag. 141. (b) *Append.* pag. 149.

ſeſte ediſceremus, neque tale quidpiam de ſucceſſore Petri ſuſpicaturos tot Antiſtites & tantum Regem; neque tam modeſta & humili ratione illorum querelis ſatisfacturum ſucceſſorem Petri: niſi utriſque alte perſuaſum eſſet, poſſe in Romanum Pontificem cadere hæreſim, qua ipſe ab Eccleſiæ Catholicæ unitate ſe abſcinderet, ſive per imprudentiam, ſive per malitiam.

Ecce denique ſæculo XII. Paſchalis Secundus, certus item & indubitatus Pontifex, ob privilegium *Inveſtiturarum* Henrico Quinto Imperatori conceſſum ſeu potius permiſſum, non ſolum in diſcrimen adductus deferendi Pontificatus, (ut diſcimus ex *Godefridi* Viterbienſis Chronico) ſed etiam a Patribus Concilii Viennenſis, ore Guidonis Archiepiſcopi Concilii Præſidis audiens memoranda hæc: *Si vero, quod minime credimus, noſtræ parvitatis aſſertiones roborare nolueritis, propitius ſit nobis Deus, quia nos a veſtra obedientia repelletis*. Quorum verborum is ſenſus eſt: ſi in concedenda laicis inveſtitura Eccleſiarum perſeveraſſet Paſchalis II. pollutum illum eo crimine habendum eſſe, cujus gratia neceſſe judicarent Patres Viennenſes, ſe ſe a *Paſchalis* communione ſeparari.

Aderant Concilio *Sanctus Hugo* Gratianopolitanus Epiſcopus, ac *Sanctus Godefridus* Epiſcopus Ambianenſis: aderat ipſe *Hugo* Viennenſis Metropolita, qui poſtea fuit *Caliſtus* Papa II. Tales autem ac tantos Antiſtites ſuſpicabimur in Romanum Pontificem aliquid prolaturos aut intentaturos, quod a recta doctrina vel Eccleſiaſtica moderatione abhorreret? abſit. Sed cum *dictante Spiritu Sancto* (ut ipſi ajebant) *omnem inveſtituram rei Eccleſiaſticæ de manu laica hæreſim* judicarent: putabant officii ſui eſſe, hæreſim foventi Pontifici non ſolum obſiſtere, ſed etiam initam cum eo communionem abrumpere. Non quod auctoritate aliqua gaudeant particulares Epiſcopi vel Theologi ad Romanum Pontificem vel hæreticum vel ſchiſmaticum judicialiter declarandum: ſed quod poſito ipſius Papæ intolerabili errore contra fidem., vel agnita contumacia in Eccleſiam; non jam Epiſcopi Papam, ſed Papa ipſe facto ſuo ſeparatum ſe ab Catholica unitate declarat.

Quo

Quo ſenſu ſcribebat olim *Gerſon* (*a*): *Jubebit exempli gratia Summus Pontifex coram Theologis expertis, quod fideles credant, Spiritum Sanctum non procedere a Patre & Filio; Theologorum erit doctrinaliter reſiſtere, &c.*

Atque hinc jam elucet primo: qua ratione in *Stephanum* Romanum Pontificem Africanis & Cappadocibus iratum & averſum ſcripſerit *Firmilianus* Cæſarienſis Metropolita (b): *Te ipſum excidiſti, noli te fallere. Dum enim putas omnes a te abſtineri poſſe, ſolum te ab omnibus abſtinuiſti.* Secundo: qua ratione Liberio Sirmienſem formulam amplectenti, & cum *Arianis* amoto *Athanaſio* communionem colenti, anathema ingeminarit *Hilarius* Epiſcopus Pictavienſis his verbis (c): *Anathema tibi, Liberi, & ſociis tuis. Iterum tibi ac tertio anathema, prævaricator Liberi.* Liberio, inquam, incauta ſubſcriptione Sirmienſis formulæ, inſtitutaque cum *Arianis* ſocietate, Catholicam fidem de Omouſio prodidiſſe, & ad hæreticorum caſtra convolaſſe viſo. Tertio: qua ratione *S. Columbanus* in epiſtula ad *Bonifacium IV.* Vigilium Papam hæreticis adnumerarit, optaritque eundem e Sacris Diptycis expungi: qua ratione item ad ipſum *Bonifacium* ſibi ſuſpectum propter damnationem trium capitulorum, ſcribere potuerit idem *Columbanus*: *Jam veſtra culpa eſt, ſi vos deviatis de veſtra fiducia, & primam fidem irritam feciſtis. Merito veſtri juniores vobis reſiſtunt*, ET MERITO VOBISCUM NON COMMUNICANT, *donec memoria perditorum deleatur.*

Optime hic Illuſtriſſimus *Boſſuetus* Lib. XIV. cap. XV. (d). *Ergo ne, inquies, vir tantus dicere potuit ad Romanum Pontificem, merito ei non communicari? Certe, ſi pergeret, uti* Columbanus *putabat, hereſim profiteri, nec ſe admonitus corrigeret. Ceterum nihiloſecius ipſe in Sedis Apoſtolicæ communione perſiſtit: Nos enim, inquit, devicti ſumus Cathedræ S. Petri, &c.*

Quarto & ultimo ex dictis elucet, qui fieri poſſit, ut ali-

(a) *Gerſon de Auferib. Pap.* conſid. 14.

(b) *Cypr.* pag. 226. edit. Felli.

(c) *Hilar.* pag. 1335. edit. Cutant.

(d) *Boſſuet.* tom. II. p. 288.

aliquis non communicans cum perſona Papæ, communicare nihilominus cenſeatur cum Apoſtolica Sede & Cathedra Petri, Catholicæ unitatis matrice & radice: ut contigit *S. Athanaſio Alexandrino* & *S. Meletio* Antiocheno: quorum prior rejectus & veluti anathematizatus a Liberio, poſterior a *Damaſo*; Catholici nihilominus ſemper habiti ſunt a Catholicis. *Aliud enim ſunt ſedes, aliud Præſidentes*, ut ex *Leone magno* notum. Aliud officium Papæ, aliud perſona Papæ.

De eo *Cajetani* doctrinam in Præfatione *Tentaminis Theologici* jam deſcriptam, heic rurſus ob oculos poni erit operæ pretium (a). *Si quis*, inquit, *perſonam Papæ ſuſpectam rationabiliter habet, & propterea non ſolum præſentiam ejus timet, ſed etiam immediatum judicium recuſat, paratus ad non ſuſpectos judices ab eo ſuſcipiendos, nec ſchiſmatis, nec alterius vitii crimen incurrit .... Inobedientia enim quantumcumque pertinax non conſtituit ſchiſma*, NISI SIT REBELLIO AD OFFICIUM PAPÆ VEL ECCLESIÆ, *ita ut renuat illi ſubeſſe, illum recognoſcere ut ſuperiorem, &c.* Plura huc ſpectantia dabit *Ludovicus Dupinus* in Diſſertatione III. quæ eſt *De antiqua infligendæ excommunicationis ratione*, capite 1.

CAPUT VIII.

An ego Papam & Epiſcopos laicorum & feminarum congregationi ſubjecerim, ut contendit Anonymus?

Venetæ Verſionis infidelitas oſtenditur.

Senſus illius propoſitionis meæ, Eccleſiam quæ in congregatione conſiſtit omnium fidelium, eſſe veluti dominam clavium: *ex aliis locis* Tentaminis Theologici *explicatur; ex Patribus autem & Theologis confirmatur.*

De Queſnello *ejuſque Propoſitione* xc. *quædam adnotantur, ſcitu haud indigna.*

CUm totus Liber Anonymi Romani felle & aculeis ſit refertus, nuſpiam tamen in me ille acerbior,

(a) *Cajet.* in 2. 2. q. 39. art. 1. ad 2.

bior, nuſpiam contumelioſior extitit, quam ubi ad id loci deventum eſt, in quo ego ſcripſi Principio v. Numero xx. *Hanc enim Eccleſiam, quæ in congregatione conſiſtit omnium fidelium, & quam Chriſtus potiſſimum reſpexit, quando Petro ceteriſque Apoſtolis claves tradidit ſpiritualis poteſtatis: hanc Eccleſiam, inquam, ipſi docent eſſe veluti dominam iſtarum clavium; Papam vero ceteroſque Epiſcopos eſſe veluti Miniſtros & executores earundem.* Hanc doctrinam Romanus Cenſor centies deſcribit (a), centies ad odium & ludibrium traducit: meque propterea hæreticis illis adnumerat, qui Papam & Epiſcopos laicorum & muliercularum multitudini ſubdunt.

Antequam adeo manifeſtam & putidam calumniam everto, præmittendum eſt, hujus loci Verſionem Italicam, qua uſus fuit Anonymus, ſenſum meum nimis infideliter expreſſiſſe. Nam primo, ubi ego ſimpliciter dixeram, *Hanc Eccleſiam*, Italica Verſio habet, *totam Eccleſiam*. Secundo, verba illa mea, *ipſi docent*, (quibus ego ſignificaveram, ex aliorum ſententia me loqui) Italica Verſio omittit. Tertio, pro eo quod dixeram, *Papam vero ceteroſque Epiſcopos eſſe veluti Miniſtros & Executores earundem;* Italica Verſio ſic reddit, *quarum Papa & Epiſcopi non ſunt niſi Miniſtri & Executores*. Atque ita ex fide infidæ Verſionis mea verba & ſenſum meum expoſuit Anonymus.

Sed his prætermiſſis, quæ leviora fortaſſe videantur; ſummam ipſam doctrinæ, ſummamque cenſuræ exequtiamus. Utraque in eo verſatur, quod dixi, *Eccleſiam quæ in congregatione conſiſtit omnium fidelium, eſſe veluti dominam clavium*. Unde colligit Romanus Cenſor, ex mea ſententia datas eſſe claves non minus laicis hominibus & ipſis mulierculis, quam Eccleſiaſticis Antiſtitibus & Hierarchis: quæ *Calvini* doctrina eſt & aliorum Novatorum. At ſi mecum bona fide agatur, fatendum eſt, Romanum Anonymum non argumentari, ſed inſidiari voluiſſe.

Primo enim ex aliis antecedentibus apertum erat, me, ubi de ſubjecto ſpiritualis poteſtatis agitur, ſolos

(a) Anonym. pag. 44. 50. 163. 229. & alibi paſſim.

Paſtores, ſeu Eccleſiaſticos Antiſtites intellexiſſe & nominaſſe. Nempe Principio v. Numero xvi. *Scire ergo debemus, ſubjectum cui totam a ſe in Evangelio inſtitutam poteſtatem contulerit Dominus noſter Jeſus Chriſtus, fuiſſe totum Corpus Hierarchicum Eccleſiæ, quod tunc temporis ex S. Petro ceteriſque Apoſtolis, ac Diſcipulis, tamquam ſingularibus membris conſtabat; nunc autem ex Summo Pontifice, Epiſcopis, ceteriſque Miniſtris Eccleſiaſticam Hierarchiam conſtituentibus conſtat*. Rurſus Numero xvii. *Perinde quaſi ſignificare vellet Chriſtus, poteſtatem ligandi & ſolvendi (quæ ipſa eſt clavium poteſtas) a ſe potiſſimum conferri Corpori Apoſtolorum eorumque ſucceſſorum, qui ut nobiliorem Eccleſiæ partem conſtituunt, ita etiam ab iis maxime denominatur Eccleſia*. Quo nihil magis decretorium dici poterat ad oſtendendum, me ubi de poteſtate clavium Eccleſiæ conceſſa loquor, nomine Eccleſiæ ſolum Paſtorum Corpus deſignatum velle.

Cur ergo, inquies, ſcripſiſti Numero xx. *Eccleſiam quæ in congregatione conſiſtit omnium fidelium, eſſe veluti dominam clavium?* Dico ingenue: quia id putavi veriſſimum: quia a probatiſſimis Theologis dictum: quia ſummæ ipſi rei intentus, & inſidiarum ſecurus, putavi complexionem illam nemini ſcandalo aut offenſioni futuram. Namque, ſi omnis abſit cavillatio, nihil in illa complexione occurrit, unde conflari mihi poſſit invidia: nihil certe, unde conflari debeat.

Quippe non dixi reduplicative, (ut ajunt) *Eccleſiam ut in congregatione conſiſtit omnium fidelium, eſſe veluti dominam clavium:* ſed ſpecificative dumtaxat, *Eccleſiam quæ in congregatione conſiſtit omnium fidelium, eſſe veluti dominam clavium*. Qua ſynecdoche, ut toti tribuatur, quod certis tantum partibus convenit, nihil apud Patres, Theologos, & Canoniſtas frequentius. *Cyprianus* in epiſtula LXIII. (a) *Eccleſia una eſt, quæ tenet & poſſidet omnem Sponſi ſui & Domini poteſtatem. In hac præſidemus*. Auguſtinus in Sermone ccxcv. alias cviii. (b) *De Diverſis*, Numero 2. *Columba ligat, columba*

(a) *Cyprian.* pag. 132. *Baluz.*
(b) *Auguſt.* Tom. v. pag. 1195. *Maur.* edit.

lumba ſolvit, ædificium ſupra petram ligat & ſolvit. Nicolaus de Cuſa Lib. II. cap. 34. *Si propter Eccleſiam Petrus a petra dictus eſt, & Eccleſia non eſt niſi unio fidelium; .... unitas fidelium eſt illa, ad cujus ſervitium & obſervantiam præſidentia eſt ſuper ſingulos. Hinc unitas fidelium, quam nos Eccleſiam dicimus, ſive univerſale Concilium Catholicæ Eccleſiæ illam repræſentans, eſt ſupra ſuum Miniſtrum ac ſingularem Præſidem. Antonius de Roſellis* in Libro de Monarchia apud *Boſſuetum*: *Concilium, id eſt Eccleſia, & collectio fidelium, errare non poteſt. Nam oravit Redemptor noſter pro Eccleſia.* Gloſſator *Gratiani* in cap. *A recta*, Cauſa XXIV. *Quæro de qua Eccleſia intelligas quod hic dicitur, quod Eccleſia errare non poteſt? Ipſa congregatio fidelium hic dicitur Eccleſia.*

Argutaris fortaſſe, neque *Cuſanum* dixiſſe, *unio omnium fidelium*; neque *Roſellum*, *collectio omnium fidelium*; neque Gloſſatorem: *congregatio omnium fidelium*? Audi ex epiſtula ad *Sanctum Cyprianum* Romanos Confeſſores de negotio Eccleſiaſtico ita ſcribentes: *Cum grande delictum & per totum pene orbem incredibili vaſtatione graſſatum, non oporteat niſi caute moderateque tractari*, CONSULTIS OMNIBUS EPISCOPIS, PRESBYTERIS, DIACONIS, CONFESSORIBUS, ET IPSIS STANTIBUS LAICIS. Stantibus, id eſt, in ipſa perſecutione non lapſis.

Audi *Gerſonem* in ipſo fere initio Libri (a), *de Modis uniendi & reformandi univerſalem Eccleſiam. Catholica*, inquit, *univerſalis Eccleſia, ex variis membris unum corpus conſtituentibus*, EX HOMINIBUS ET MULIERIBUS, EX RUSTICIS ET NOBILIBUS, *ex pauperibus & divitibus eſt conjuncta & nominata. Hæc Eccleſia de lege currenti numquam errare poteſt, numquam deficere, numquam ſchiſma paſſa eſt, numquam hæreſi maculata eſt, &c. Alia vero vocatur Eccleſia Apoſtolica, particularis, & privata, in Catholica Eccleſia incluſa, ex Papa, Cardinalibus, Epiſcopis, Prælatis, & viris Eccleſiaſticis compaginata.*

Et

(a) Tom. II. pag. 163.

Et ſolet dici Eccleſia Romana, &c. Et hæc errare poteſt, potuit falli & fallere, ſchiſma & hæreſim habere, etiam poteſt deficere. Et hæc longe minoris auctoritatis videtur eſſe univerſali Eccleſia. Et eſt quaſi inſtrumentalis & operativa clavium univerſalis Eccleſiæ & executiva poteſtatis ligandi, & ſolvendi ejuſdem.

Audi *Gerſonis* Diſcipulum *Almainum* in Tractatu (a) *De Auctoritate Eccleſiæ & Conciliorum Generalium*, cap. VI. *Chriſtus hanc poteſtatem immediate contulit Eccleſiæ*, CAPIENDO ECCLESIAM PRO COLLECTIONE OMNIUM FIDELIUM; *&c.*

Audi *Petrum de Marca* in Diſſertatione (b) *de Forma regiminis a Chriſto inſtituta in Eccleſia*, Numero XII. *Mihi videtur poteſtas data Eccleſiæ, id eſt, corpori myſtico Chriſti*, QUOD CONSTAT EX EPISCOPIS ET PLEBE FIDELI.

Audi denique *Ludovicum Dupinum* Diſſertatione III. cap. I. (c) *Eccleſiæ autem nomine licet Epiſcopi & Preſbyteri præcipue intelligantur*, OPTIME TAMEN DICI POTEST CLAVES ECCLESIÆ UNIVERSITATI, *ut loquitur Auguſtinus*, DATAS ESSE, *quæ ſcilicet per ejus Miniſtros exerceantur. Unde licet nulli præterquam Epiſcopi & Presbyteri poteſtatem exercendi claves habeant, ea tamen in univerſa reſidet Eccleſia, quo nomine in Sacris litteris non Sacerdotes ſoli, ſed univerſus fidelium cœtus intelligitur, &c.*

Quid tu ad hæc? an dices Romanos Confeſſores, *Gerſonem* & *Almainum* in errore *Calvino* præluſiſſe? an *Calvino* adſenſiſſe *Marcam* & *Dupinum*? At qui talium ſcriptorum dicta non obnoxio, & malevolo animo legunt, ii eo ſenſu facile interpretantur, ut penes Eccleſiam ex omnibus quidem fidelibus conſtantem ſit tota poteſtas ſpiritualis a Chriſto inſtituta; non ab omnibus & ſingulis, ſed ab illis dumtaxat exercenda, quos in ipſa Eccleſia Rectores & Paſtores eſſe voluit Chriſtus: id quod omnium apertiſſime animadvertit *Dupinus* in loco ſuperius laudato.

Scio

(a) Tom. II. *Gerſon.* pag. 987. (c) *Dupin.* pag. 246.
(b) *Marca* pag. 114.

Scio quidem, Theologorum Ultramontanis opinionibus addictorum, præſertim vero Jeſuitarum, antiquam illam cantilenam eſſe; ut ubi aliquem viderint ſpiritualis poteſtatis proximum & immediatum ſubjectum non in Pontifice, ſed in Eccleſia collocare; ſtatim vociferentur denegari ab illo ſucceſſoribus Petri eam auctoritatem, qua Petrum ipſum donavit Chriſtus; ſubjicique laicorum communitati & muliercularum arbitrio omne exercitium, omnem executionem ipſius Poteſtatis! Eo nomine *Richerium* ſuperiori ſæculo virulentiſſime inſectatus eſt *Duvallius*. Eo nomine patrum memoria ſæviſſime in *Queſnellum* invecti ſunt e Jeſuitis *Lallemandus*, *Juventius*, *Fontana*, *Colonia*, *Patuletus*. Eo nomine majori adhuc petulantia me cum *Richerio* ac *Queſnello*; tamquam cum Hæreticis, noviſſime conjunxit Romanus Anonymus.

De *Richerio* quidem infra ſuo loco ſermonem inſtituemus. De *Queſnello* autem jam in Nota ſuperius deſcripta e *Tentamine Theologico* Latino obſervavi: *toto cælo diſtare a doctrina ipſi adtributa doctrinam Sacræ Facultatis Pariſienſis, totiuſque Eccleſiæ Gallicanæ, quam hic tuemur*. Diſcrimen autem in eo poſitum eſſe, *quod* Queſnellus *ejuſque Diſcipuli illud*, Dic Eccleſiæ, *ſic de tota fidelium univerſitate intelligere dicuntur, ut velint ad excommunicationem ferendam opus eſſe conſenſu ſaltem tacito ſeu præſumpto ipſius multitudinis*. Sic enim a Romanis Conſultoribus nonageſima *Queſnelli* Propoſitio intellecta eſt, quæ ſic habet: *Eccleſia poteſtatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Paſtores, de conſenſu ſaltem præſumpto totius corporis*. Contra Pariſienſes *Auguſtinum* totamque antiquitatem ſecuti docent, Eccleſiæ quidem ex omnibus fidelibus conſtanti datas eſſe claves; ſed ita pro omnibus & in omne datas, ut jus ipſius poteſtatis & illius exercitium formaliter non reſideat, niſi penes Corpus Paſtorum, quos inter eminet Romanus Pontifex, ſicut inter Apoſtolos eminebat Petrus. Hucuſque Nota noſtra:

Unum heic ſuperaddo. Scilicet cum damnata Propoſitione illa nonageſima, damnari intelligerent Galli non tam doctrinam Calviniſtarum de juriſdictione ſpiritua-

rituali in laicos effuſa, a qua ſe longiſſime abfuiſſe proteſtatus ſæpe fuerat *Queſnellus*; quam doctrinam Eccleſiæ Gallicanæ de ſubjecto proximo & immediato ſpiritualis poteſtatis, quam ſolam præ ſe ferre videbantur *Queſnelli* verba (a): unam hanc cauſam fuiſſe ex multis aliis, cur a Bulla *Unigenitus* ad futurum Concilium Generale appellarint viginti Galliæ Epiſcopi cum Academiis Pariſienſi, Remenſi, Nannetenſi, innumeriſque Doctoribus omnium Ordinum: & cur ad noſtra uſque tempora Bullam illam pro Dogmatico Eccleſiæ Judicio Regulave Fidei admittere nolint Regii Magiſtratus, multique de Clero & Religioſis Familiis.

Sed quicumque tandem ſenſus fuerit *Queſnellianæ* Propoſitionis, ex iis quæ ſuperius dicta ſunt, nemo non videt; nodum in ſcirpo quæſiſſe Romanum Anonymum, dum propoſitioni illi meæ, *Eccleſiam quæ in congregatione conſiſtit omnium fidelium, veluti dominam clavium eſſe*, hæreticum ſenſum adſcripſit. Quilibet enim, ubi talem propoſitionem audit ab ſcriptore Catholico, modo non malignis auribus audiat, facile mox intelligit, ſenſum illius eundem omnino eſſe, quo *Cyprianus* dixit: *Eccleſia eſt, quæ tenet & poſſidet omnem Sponſi ſui & Domini poteſtatem*. Eundem omnino, quo dixit *Auguſtinus*: *Claves non homo unus, ſed unitas accepit Eccleſiæ*. Nempe ut eo modo dicatur congregatio omnium fidelium eſſe domina clavium, quo dici poteſt domina Sacerdotii, Epiſcopatus, Pontificatus, & Sacramentorum omnium. Iſtorum autem omnium domina eatenus dicatur congregatio omnium fidelium, quatenus iſta omnia a Chriſto Sponſo ac Domino ſuo accepit, per idoneos Miniſtros diſpenſanda.

CA-

(a) *Cathec. Hiſtor.* Tom. II. pag. 181. & 211. & 222. & Tom. III. pag. 83.
Reſponſe a la Bibl. Janſ. pag. 71.
Recueil des Actes d'Appel, Tom. II. pag. 554. & Tom. III. pag. 890.

CAPUT IX.

De ſubjecto proximo & immediato ſpiritualis poteſtatis Syſtema meum, & Anonymi Romani Cenſura; qui ut odioſum & execrandum reddat, Richerianum *facit & hæreticum*.

Extremum caput accuſationis in me ab Romano Anonymo inſtitutæ, totum verſatur in oppugnando & exagitando capite illo doctrinæ meæ, quod ego ſtabilivi Principio v. Num. xvi. cum docui (a): *Subjectum proximum & immediatum totius poteſtatis a Chriſto in Evangelio inſtitutæ, non fuiſſe proprie Petrum, vel aliquem de ſucceſſoribus ejus; ſed totum Corpus Hierarchicum, ſeu communitatem univerſalis Eccleſiæ; cui Petrus ipſe ut membrum, quamvis ſuperius & dignius, ita ſubſit, quemadmodum pars univerſo, filius matri, miniſter dominæ*. Quod Romanus Anonymus ſic interpretatur: *ut Dictator in Republica, cui ſubditus erat ac miniſter, non ſecus ac Conſules & Tribuni; & in qua tantum miniſteriale caput erat Dictator*.

Totus igitur in eo eſt Romanus Ariſtarchus, ut legentibus perſuadeat, ſyſtema a me adoptatum & expoſitum, ipſiſſimum ſyſtema eſſe ab Edmundo *Richerio* ſtabilitum in Libello *De Eccleſiaſtica Poteſtate*. Cujus ſyſtematis ſumma, ſi Anonymo credimus, in eo conſiſtit: ut Eccleſia non ſpiritualis quædam Monarchia, ſed Reſpublica quædam modo Ariſtocratica, modo Democratica cenſeri debeat. Ariſtocratica quidem, dum adfirmo Numer. xvi. *Subjectum proximum & immediatum poteſtatis Eccleſiaſticæ a Chriſto inſtitutæ non eſſe Petrum, aut ejus ſucceſſorem, ſed totum Corpus Hierarchicum Eccleſiæ*. Democratica vero, dum adfirmo Num. xix. *Eccleſiam quæ in congregatione conſiſtit omnium fidelium, eſſe velut dominam clavium; Papam vero & Epiſcopos eſſe velut Miniſtros & Executores earundem*: ſeu quod

(a) Anonym. pag. 54.

quod eodem recidit , *proprietatem & veluti dominium juriſdictionis ſpiritualis , totam omnino eſſe penes Corpus Eccleſiæ ; uſum vero & exercitium hujus juriſdictionis penes Papam & Epiſcopos*, ut eodem Num. xix. tradidi.

Miror autem Anonymi diligentiam effugiſſe id , quod Numero xxxvii. tam diſerte ſcripſi : *Formam regiminis a Chriſto inſtituti , formam quidem eſſe regiminis Monarchici , ſed Ariſtocratico tamen & Democratico temperati* . At dedita opera id ab Anonymo prætermiſſum , infra patebit , ubi quo ſpectaverit ejus calliditas , aperuero .

Superioribus autem commemoratis hæc ſubjungit bonus Anonymus (a) : *Vel ipſum nomen ſyſtematis* Richeriani *male ſonat inter Scriptores Catholicos . Notum eſt* , Richerii *Librum anno uno poſt publicationem , hoc eſt , anno* MDCXII. *damnatum fuiſſe ab Epiſcopis Gallicanis in Provinciali Concilio Senonenſi , & in altero Aquenſi ; tamquam qui propoſitiones contineret falſas , erroneas , ſcandaloſas , & , ut ſonant , hæreticas* . Hinc ille contendit , *debere nunc pariter Antiſtites Sanctæ Eccleſiæ vehementer inſurgere in Librum Patris* Pereriæ , *qui admodum amicus adparet* Richerii *; non ſolum quia illum identidem citat , & quidem honorifice ; ſed etiam quia cum ejus ſyſtemate concordat etiam in illa parte regiminis democratici , cujus poſtea* Richerium *ipſum puduerit* .

Narrat enim vir diligentiſſimus , *Richerium* poſtquam capite primo Libelli ſui *de Eccleſiaſtica Poteſtate* ſtabiliſſet in Eccleſia regimen omnino Democraticum (b) : exagitatum poſtea a Catholicis Doctoribus , veluti *qui cum* Luthero *ſentiret , claves datas etiam laicis , bajulis , & cerdonibus* : queſtum eſſe in Defenſione ejuſdem Libelli , in eo ſibi calumniatos adverſarios .

Hæc & alia præfatus , ſtrenue deinde pergit Anonymus demonſtrare , ſoli Petro datas eſſe claves : ipſo clavium nomine , & ipſa clavium traditione , velut ſceptro quodam in manus dato , ſignificatum a Chriſto *novum Regnum , quod Chriſtus ipſe fundabat in Eccleſia ſua , & cujus poteſtas dari non poterat niſi uni ſoli : utpote*

(a) Anonym. pag. 55. (b) Ibid. pag. 71.

pote poteſtas Regni, & *non Reipublicæ*.

In eam rem cum multa ex Patribus, ex Concilio Florentino, ex Baſilienſi, ex *Gerſone* retuliſſet (a); (nihil enim diſſimulare ſtatui) tandem velut triumphans, & de victoria glorians, comparationem inſtituit *inter doctrinam Fidei* & *doctrinam Patris* Pereriæ. *Quæ comparatio*, inquit, *quantumvis ſumma quædam ſit aliarum comparationum jam factarum; exinde tamen nova quædam & ſplendidior lux exſurget ad cognoſcendum, quam multa in hoc Libro tendantur retiacula ad commune fidelium conjiciendum in hæreſim, quæ docet, Eccleſiam eſſe Rempublicam. Id autem ea ratione demonſtratur. Doctrina Fidei docet, a Deo immediate, & non ab altero inſtitutam eſſe in Eccleſia formam Monarchiæ; cum ut ſupra vidimus, hæretica agnita fuerit a Sorbona propoſitio illa* Marci Antonii de Dominis, Monarchiæ formam non fuiſſe immediate in Eccleſia a Chriſto inſtitutam. *Communis idea Monarchiæ concipere nos facit perſonam unam, penes quam reſideat proprietas publicæ juriſdictionis in regenda multitudine. S. Petrum proprietate gaudere Primatus jurisdictionis, cui omnes atque ipſi etiam Apoſtoli ſubderentur, & cui in ſucceſſore ſubderentur & obedire tenerentur omnes Chriſtiani; id nos jam ſupra vidimus Fidei dogma eſſe, ſicut & illud, quod Petrus proprietatem jurisdictionis a Chriſto immediate habeat. Dogma pariter Fidei eſſe vidimus, plenitudinem poteſtatis paſcendi, regendi, & gubernandi Univerſalem Eccleſiam, non ab hominibus, vel Synodis, ſed ab ipſo Chriſto S. Petrum & omnes ejus ſucceſſores accepiſſe. Unde etiam prætermiſſa ratione, quam* Natalis Alexander & *tot alii Theologi urgent; quod non debebat Deus regimen alterum pro ſua Eccleſia inſtituere, quam Monarchicum, quod optimum eſt, maxime ad ſtabilia reddenda vaſta dominia: una Fides ſatis eſt ad nos certos efficiendos, Eccleſiam reipſa inſtitutam eſſe a Chriſto ad modum Monarchiæ, in qua poteſtas Regni ſymbolo clavium ſignificata, tamquam ſceptrum data fuerit unice Sancto Petro. Talis eſt doctrina Fidei.* Do-

(a) Anonym. pag. 88.

Doctrina (a) *igitur Patris* Pereriæ *eſt hæc* : Papa non eſt Monarcha totius Eccleſiæ. Dignitas Monarchæ ſoli competit Concilio Œcumenico: *ut in Romana Republica dici potuiſſet Monarcha ſolus Senatus Populusque Romanus, & non Dictator. Pater* Pereria *dicit* omnes Apoſtolos æquales in poteſtate ſupremoſque Legislatores: dicit omnes Epiſcopos *ex inſtitutione Chriſti munitos* juriſdictione ſuprema, abſoluta, & illimitata : *tamquam ſi inſtituta a Chriſto eſſet in Eccleſia illa Ariſtocratia, quam Calviniſtæ Galli expreſſere in Profeſſione Fidei, quæ dicebat :* Credimus omnes veros Paſtores, ubicumque locorum collocati fuerint, eadem & æquali poteſtate eſſe præditos.

Pater Pereria *docet, in Regno Chriſti nullius poteſtatis proprietate gaudere Epiſcopos & Papam ; quemadmodum nulla gaudebant in Romana Republica Tribuni, nulla Conſules, nulla Dictator*. Reginæ dignitatem, *inquit ille*, ſoli Univerſali Eccleſiæ competit, *quemadmodum dici poterat ſoli Reipublicæ memoratæ. Hæc ut proprietate gaudens plenæ poteſtatis, ſola manu gerebat ſceptrum Romani imperii ; eo modo quo Eccleſia Chriſtianitatis Regina, claves habet Regni a Chriſto immediate acceptas*. Penes illam eſt proprietas harum clavium. Papa & Epiſcopi non ſunt niſi Miniſtri. Proprietas & dominium ſpiritualis juriſdictionis tota reperitur in corpore Eccleſiæ; uſus vero & exercitium in Papa & Epiſcopis. *Sicut ergo Romana Reſpublica non transfundebat in Dictatorem propriam juriſdictionem, modo quo ille conſtitueretur proprietarius; neque modo eo, quo a Populo quolibet creatur Monarcha unus, in quem transfundatur poteſtas regnandi : ita pariter Eccleſia Dei non transfundit in Papam propriam juriſdictionem, modo quo ille Monarcha fiat ; ſed illi ſolum uſum & exercitium confert*.

Papa (b) *igitur qui ſecundum Patrem* Pereriam *nullatenus a Chriſto accepit talem juriſdictionem* ; (*quandoquidem ſubjectum, cui ille immediate contulit plenitudinem poteſtatis, fuit totum Corpus Hierarchicum*) *remanet privatus*

(a) Anonym. pag. 92. (b) Ibid. pag. 94.

vatus omni juriſdictione , omni poteſtate , ſicut quilibet alius Chriſtianus : remanet purus miniſter , purum inſtrumentum , purus executor ; dum miniſterialiter tantum , inſtrumentaliter tantum , quoad executionem tantum , claves ille manu geſtat , earumque uſum , & exercitium habet : nullus autem executor , inſtrumentumve , aut miniſter , umquam fuit proprietarius juriſdictionis exercitæ . Papa ut plurimum eſt caput miniſteriale , *ſed non jam reſpectu ſolius Chriſti , qui caput eſt primarium & inviſibile ; ſed reſpectu etiam ipſius Eccleſiæ . Ipſe S. Petrus ut caput miniſteriale* , ſubordinatus erat communitati Eccleſiæ Univerſalis , ut filius matri , ut miniſter dominæ : *proindeque ut Dictator Reipublicæ , cujus æque ſubditus erat tempore Dictaturæ , ac ante Dictaturam . Quæ propugnari non poſſunt niſi ab eo , qui ſe hæreticum fateatur .*

Vanum itaque eſt in Libris Richerianis *velle ſpecioſis admodum verbis demonſtrare , propugnari ibi Eccleſiæ Monarchiam , quatenus illius Auctores diſtinctionem inſtituunt inter ſtatum Monarchicum , & Regimen Ariſtocraticum ; & quatenus fronti eorundem Librorum adſcribunt :* Eccleſia eſt Politia Monarchica regimine Ariſtocratico temperata . *Vanum* Bellarmino *Patrono gloriari , quia ille dixerit , Ariſtocratico regimine temperatam eſſe Eccleſiaſticam Monarchiam . Namque re funditus & in viſceribus examinata , Eccleſia in* Richeriano *ſyſtemate pura Reſpublica eſt , ſicut Romana , de qua etiamnum celebrari & ad gloriam oſtentari poterant iidem illi ſpecioſi caracteres , qui Eccleſiaſticæ Monarchiæ attribuuntur . Nec in illo ſyſtemate Papa eſt proprietarius jure divino alicujus juriſdictionis , ut vult ſancta Fides , & ut docte tuetur* Bellarminus : *qui illum demonſtrat a Deo conſtitutum in ſtatu vere Monarchico , quippe a Deo proprietarium factum Primatus juriſdictionis , cui omnes obedire debeant ; proprietarium plenitudinis poteſtatis & clavium Regni , a Chriſto ei immediate conſignatarum . Et quamvis idem* Bellarminus *Eccleſiaſticam Monarchiam dicat Ariſtocratia temperatam ; pariter certum eſt , ab illo propugnari ſyſtema reipſa diverſum a* Richeriano .

Habes hic Analyſim mei ſyſtematis ab Anonymo factam . Habes cenſuram ipſius Anonymi a me ipſius

Doctrina (a) *igitur Patris* Pereriæ *eſt hæc* : Papa non eſt Monarcha totius Eccleſiæ. Dignitas Monarchæ ſoli competit Concilio Œcumenico: *ut in Romana Republica dici potuiſſet Monarcha ſolus Senatus Populusque Romanus*, *& non Dictator*. *Pater* Pereria *dicit* omnes Apoſtolos æquales in poteſtate ſupremoſque Legislatores: dicit omnes Epiſcopos *ex inſtitutione Chriſti munitos* jurisdictione ſuprema, abſoluta, & illimitata : *tamquam ſi inſtituta a Chriſto eſſet in Eccleſia illa Ariſtocratia*, *quam Calviniſtæ Galli expreſſere in Profeſſione Fidei*, *quæ dicebat :* Credimus omnes veros Paſtores, ubicumque locorum collocati fuerint, eadem & æquali poteſtate eſſe præditos.

Pater Pereria *docet*, *in Regno Chriſti nullius poteſtatis proprietate gaudere Epiſcopos & Papam* ; *quemadmodum nulla gaudebant in Romana Republica Tribuni*, *nulla Conſules*, *nulla Dictator*. Reginæ dignitatem, *inquit ille*, ſoli Univerſali Eccleſiæ competit, *quemadmodum dici poterat ſoli Reipublicæ memoratæ*. *Hæc ut proprietate gaudens plenæ poteſtatis*, *ſola manu gerebat ſceptrum Romani imperii ; eo modo quo Eccleſia Chriſtianitatis Regina*, *claves habet Regni a Chriſto immediate acceptas*. Penes illam eſt proprietas harum clavium. Papa & Epiſcopi non ſunt niſi Miniſtri. Proprietas & dominium ſpiritualis jurisdictionis tota reperitur in corpore Eccleſiæ; uſus vero & exercitium in Papa & Epiſcopis. *Sicut ergo Romana Reſpublica non transfundebat in Dictatorem propriam jurisdictionem*, *modo quo ille conſtitueretur proprietarius*; *neque modo eo*, *quo a Populo quolibet creatur Monarcha unus*, *in quem transfundatur poteſtas regnandi : ita pariter Eccleſia Dei non transfundit in Papam propriam jurisdictionem*, *modo quo ille Monarcha fiat ; ſed illi ſolum uſum & exercitium confert*.

Papa (b) *igitur qui ſecundum Patrem* Pereriam *nullatenus a Chriſto accepit talem jurisdictionem*; (*quandoquidem ſubjectum*, *cui ille immediate contulit plenitudinem poteſtatis*, *fuit totum Corpus Hierarchicum*) *remanet privatus*

(a) Anonym. pag. 92. (b) Ibid. pag. 94.

vatus omni juriſdictione , omni poteſtate , ſicut quilibet alius Chriſtianus : remanet purus miniſter , purum inſtrumentum , purus executor ; dum miniſterialiter tantum , inſtrumentaliter tantum , quoad executionem tantum , claves ille manu geſtat , earumque uſum , & exercitium habet : nullus autem executor , inſtrumentumve , aut miniſter , umquam fuit proprietarius juriſdictionis exercitæ . Papa ut plurimum eſt caput miniſteriale , *ſed non jam reſpectu ſolius Chriſti , qui caput eſt primarium & inviſibile ; ſed reſpectu etiam ipſius Eccleſiæ . Ipſe S. Petrus ut caput miniſteriale ,* ſubordinatus erat communitati Eccleſiæ Univerſalis , ut filius matri , ut miniſter dominæ : *proindeque ut Dictator Reipublicæ , cujus æque ſubditus erat tempore Dictaturæ , ac ante Dictaturam . Quæ propugnari non poſſunt niſi ab eo , qui ſe hereticum fateatur .*

Vanum itaque eſt in Libris Richerianis *velle ſpecioſis admodum verbis demonſtrare , propugnari ibi Eccleſiæ Monarchiam , quatenus illius Auctores diſtinctionem inſtituunt inter ſtatum Monarchicum , & Regimen Ariſtocraticum ; & quatenus fronti eorundem Librorum adſcribunt* : Eccleſia eſt Politia Monarchica regimine Ariſtocratico temperata . *Vanum* Bellarmino *Patrono gloriari , quia ille dixerit , Ariſtocratico regimine temperatam eſſe Eccleſiaſticam Monarchiam . Namque re funditus & in viſceribus examinata , Eccleſia in* Richeriano *ſyſtemate pura Reſpublica eſt , ſicut Romana , de qua etiamnum celebrari & ad gloriam oſtentari poterant iidem illi ſpecioſi caracteres , qui Eccleſiaſticæ Monarchia attribuuntur . Nec in illo ſyſtemate Papa eſt proprietarius jure divino alicujus juriſdictionis, ut vult ſancta Fides , & ut docte tuetur* Bellarminus : *qui illum demonſtrat a Deo conſtitutum in ſtatu vere Monarchico , quippe a Deo proprietarium factum Primatus juriſdictionis , cui omnes obedire debeant ; proprietarium plenitudinis poteſtatis & clavium Regni , a Chriſto ei immediate conſignatarum . Et quamvis idem* Bellarminus *Eccleſiaſticam Monarchiam dicat Ariſtocratia temperatam ; pariter certum eſt , ab illo propugnari ſyſtema reipſa diverſum a* Richeriano .

Habes hic Analyſim mei ſyſtematis ab Anonymo factam . Habes cenſuram ipſius Anonymi a me ipſius

 ver-

verbis deſcriptam. Habes conſectaria, quæ ex meo ſyſtemate deducit Anonymus. Habes quo tetenderit cautus ejus conatus.

In omnibus ille quidem imitatus eſt, ac præ oculis habuit, quæ de *Richerio* & contra *Richerii* Librum ſcripſerant tres Jeſuitæ; *Fontana* in Propoſitionem *Queſnelli* xc. *Colonia* in *Bibliotheca Janſeniſtica*; & *Patuletus* in *Lexico Librorum Janſeniſticorum*, de quibus legendus omnino *Le Groſſus* in *Reſponſione ad Bibliothecam Janſeniſticam* Gallicè, Art. vi.

Sed quia ſenſum ac doctrinam meam non ex Anonymi Libellò, ſed ex ipſo *Tentamine Theologico* exponi par eſt: verbis Anonymis mea verba ſubjungam, ut quodnam & quale meum ſyſtema ſit, facile poſſint illi agnoſcere, quibus *Tentamen Theologicum* non erit ad manum.

Syſtema igitur meum in eo conſiſtit; quod ut ego tradidi Principio v. Num. xvi. *Subjectum proximum & immediatum ſpiritualis poteſtatis a Chriſto inſtitutæ, non ſit proprie Petrus aut ejus ſucceſſor; ſed totum Corpus Hierarchicum Eccleſiæ, quod initio ex Petro, ceteriſque Apoſtolis, ac Diſcipulis, tamquam ſingularibus membris conſtabat: nunc autem ex ſummo Pontifice, Epiſcopis, ceteriſque Miniſtris Eccleſiaſticam Hierarchiam conſtituentibus conſtat. Unumquodque horum membrorum, ſeu unumquemque Apoſtolorum, ut membrum quoddam inferius, ſubeſſe quidem Petro ut præcipuo membro, ſeu ut miniſteriali capiti ſingulorum. Verum & ipſum caput miniſteriale; ſive eumdemmet Petrum, utpote qui & ipſe ſit membrum, quamvis ſuperius & dignius; ipſi communitati ſive Corpori Univerſalis Eccleſiæ ſic ſubeſſe, quemadmodum pars toti, filius matri, miniſter dominæ.*

Ex hac doctrina Principio v. Num. xix. colligunt probi Theologi primo: *proprietatem quidem & veluti dominium juriſdictionis ſpiritualis, totam omnino eſſe penes Corpus Eccleſiæ; uſum vero ſive exercitium hujus juriſdictionis eſſe penes Papam & Epiſcopos, ut Miniſtros ſive Executores ipſius Eccleſiæ.*

Principio v. Numero xx. colligunt ſecundo iidem Theologi: *Papatum quidem & Epiſcopatum eſſe juris divini:*

vini : nihilominus tamen penes Eccleſiam poteſtatem eſſe moderandi & circumſcribendi uſum & exercitium poteſtatis ſpiritualis ſuorum Miniſtrorum . Hanc enim Eccleſiam ipſi docent eſſe veluti dominam clavium ; Papam vero ceteroſque Epiſcopos eſſe veluti Miniſtros & Executores earundem .

Principio v. Num. xxi. colligunt tertio noſtri Theologi : *quandoquidem tota vis & auctoritas Eccleſiæ Univerſalis inſit Generali Concilio , utpote totam Eccleſiam Catholicam repræſentanti : ubi ab ipſo Concilio Generali præſcripti ac deſignati fuerint limites tam Papatus , quam Epiſcopatus : præſcripta item cetera Diſciplinæ & Reformationis Eccleſiaſticæ capita : non poſſe Papam , nec poſſe Epiſcopos ultra hos limites excurrere .*

Principio v. Num. xxxvi. *Papam quidem in Eccleſia eſſe ſupremum Principem ; ſed non ita tamen ſupremum , ut Legibus totius Corporis minime ſubjaceat . Formam item regiminis a Chriſto inſtituti , & ab Apoſtolis exerciti ; formam quidem eſſe regiminis Monarchici , ſed Ariſtocratico tamen & Democratico temperati .*

Hoc ſyſtema , Anonymo judice , *Richerianum eſt , ab Epiſcopis Gallicanis damnatum , male ſonans inter Scriptores Catholicos ; & quod propugnari non poſſit niſi ab eo , qui ſe declaret hæreticum .*

Conſectaria ex hoc ſyſtemate deducta ab Anonymo, tamquam hæretica, hæc ſunt. Quod Chriſti Eccleſiam non ut monarchiam , ſed ut Rempublicam conſtituit : quod Papam eo in ſtatu collocat, in quo apud Romanos erat Dictator a Republica deſignatus ſummo imperio, ſed precario & temporario : quod Epiſcopos exuat proprietate omnis poteſtatis.

Conatus Anonymi in hac Diſſertatione & in toto Libro , eo tendit , ut Papa talis & tantus credatur , qualem & quantum credi jubet *Bellarminus :* hoc eſt , unicus Fons & ſupremus Arbiter totius poteſtatis & infallibilitatis Eccleſiaſticæ ; atque adeo Concilio Generali ſuperior, & abſolutus Eccleſiæ Monarcha.

verbis deſcriptam. Habes conſectaria, quæ ex meo ſyſtemate deducit Anonymus. Habes quo tetenderit tantus ejus conatus.

In omnibus ille quidem imitatus eſt, ac præ oculis habuit, quæ de *Richerio* & contra *Richerii* Librum ſcripſerant tres Jeſuitæ; *Fontana* in Propoſitionem *Queſnelli* xc. *Colonia* in *Bibliotheca Janſeniſtica*; & *Patuletus* in *Lexico Librorum Janſeniſticorum*, de quibus legendus omnino *Le Groſſus* in *Reſponſione ad Bibliothecam Janſeniſticam* Gallicè, Art. VI.

Sed quia ſenſum ac doctrinam meam non ex Anonymi Libello, ſed ex ipſo *Tentamine Theologico* exponi par eſt: verbis Anonymis mea verba ſubjungam, ut quodnam & quale meum ſyſtema ſit, facile poſſint illi agnoſcere, quibus *Tentamen Theologicum* non erit ad manum.

Syſtema igitur meum in eo conſiſtit; quod ut ego tradidi Principio v. Num. XVI. *Subjectum proximum & immediatum ſpiritualis poteſtatis a Chriſto inſtitutæ, non ſit proprie Petrus aut ejus ſucceſſor; ſed totum Corpus Hierarchicum Eccleſiæ, quod initio ex Petro, ceteriſque Apoſtolis, ac Diſcipulis, tamquam ſingularibus membris conſtabat: nunc autem ex ſummo Pontifice, Epiſcopis, ceteriſque Miniſtris Eccleſiaſticam Hierarchiam conſtituentibus conſtat. Unumquodque horum membrorum, ſeu unumquemque Apoſtolorum, ut membrum quoddam inferius, ſubeſſe quidem Petro ut præcipuo membro, ſeu ut miniſteriali capiti ſingulorum. Verum & ipſum caput miniſteriale; ſive eundemmet Petrum, utpote qui & ipſe ſit membrum, quamvis ſuperius & dignius; ipſi communitati ſive Corpori Univerſalis Eccleſiæ ſit ſubeſſe, quemadmodum pars toti, filius matri, miniſter dominæ.*

Ex hac doctrina Principio v. Num. XIX. colligunt probi Theologi primo: *proprietatem quidem & veluti dominium juriſdictionis ſpiritualis, totam omnino eſſe penes Corpus Eccleſiæ; uſum vero ſive exercitium hujus juriſdictionis eſſe penes Papam & Epiſcopos, ut Miniſtros ſive Executores ipſius Eccleſiæ.*

Principio v. Numero XX. colligunt ſecundo iidem Theologi: *Papatum quidem & Epiſcopatum eſſe juris divini:*

vini : nihilominus tamen penes Eccleſiam poteſtatem eſſe moderandi & circumſcribendi uſum & exercitium poteſtatis ſpiritualis ſuorum Miniſtrorum . Hanc enim Eccleſiam ipſi docent eſſe veluti dominam clavium ; Papam vero ceteroſque Epiſcopos eſſe veluti Miniſtros & Executores earundem .

Principio v. Num. xxi. colligunt tertio noſtri Theologi : *quandoquidem tota vis & auctoritas Eccleſiæ Univerſalis inſit Generali Concilio , utpote totam Eccleſiam Catholicam repræſentanti : ubi ab ipſo Concilio Generali præſcripti ac deſignati fuerint limites tam Papatus , quam Epiſcopatus : præſcripta item cetera Diſciplinæ & Reformationis Eccleſiaſticæ capita : non poſſe Papam , nec poſſe Epiſcopos ultra hos limites excurrere .*

Principio v. Num. xxxvi. *Papam quidem in Eccleſia eſſe ſupremum Principem ; ſed non ita tamen ſupremum , ut Legibus totius Corporis minime ſubjaceat . Formam item regiminis a Chriſto inſtituti , & ab Apoſtolis exerciti ; formam quidem eſſe regiminis Monarchici , ſed Ariſtocratico tamen & Democratico temperati .*

Hoc ſyſtema , Anonymo judice , *Richerianum eſt , ab Epiſcopis Gallicanis damnatum , male ſonans inter Scriptores Catholicos ; & quod propugnari non poſſit niſi ab eo , qui ſe declaret hæreticum .*

Conſectaria ex hoc ſyſtemate deducta ab Anonymo, tamquam hæretica , hæc ſunt . Quod Chriſti Eccleſiam non ut monarchiam , ſed ut Rempublicam conſtituit : quod Papam eo in ſtatu collocat , in quo apud Romanos erat Dictator a Republica deſignatus ſummo imperio , ſed precario & temporario : quod Epiſcopos exuat proprietate omnis poteſtatis .

Conatus Anonymi in hac Diſſertatione & in toto Libro , eo tendit , ut Papa talis & tantus credatur , qualem & quantum credi jubet *Bellarminus* : hoc eſt , unicus Fons & ſupremus Arbiter totius poteſtatis & infallibilitatis Eccleſiaſticæ ; atque adeo Concilio Generali ſuperior , & abſolutus Eccleſiæ Monarcha .

CAPUT X.

Quanta fraude & vaſritie ſyſtema meum expoſuerit Romanus Anonymus. Quanta Richerianum *fecerit.*

Demonſtratur ejus conſilium & artes eo omnino ſpectaſſe, ut Decreta Conſtantienſia de ſuperioritate Concilii Generalis, atque adeo ipſa Eccleſiæ Gallicanæ & Pariſienſis Academiæ de ea re Placita, oppugnato Tentamine *meo* Theologico *quaſi per latus impeterentur, & odioſa apud Theologorum vulgus redderentur.*

QUi Romanas artes non ſatis callent, nec in ejuſmodi ſcriptis ſunt verſati; iis ego non dubito, quin Romani Anonymi ratiocinia adeo ſolida, adeo valida, adeo ineluctabilia videantur; ut fateri omnino ſit neceſſe, ſalva & incolumi Fide Catholica, conſiſtere non poſſe ſyſtema a me propoſitum, nec potuiſſe illud niſi a malis & hæreticis Libris deſumi. Contra qui ſciunt, Romanorum Theologorum moris eſſe, Catholica dogmata non ex Scriptura & Scripturæ interprete Traditione, ſed ex Libris *Cajetani* & *Bellarmini* colligere; atque adeo cenſuris acerbiſſimis & virulentiſſimis in eos omnes animadvertere, qui a duobus illis Romanæ Theologiæ Coryphæis vel latum unguem deſciſcunt: eos ego ſpero, ubi *Tentamen* ipſum *Theologicum* cum Anonymi Cenſura diligenter contulerint, momentaque omnia, quibus innixus ſum, accurate librarint: in eam ſententiam, facile deſcenſuros, qua ſibi firmiter perſuadeant, Romanum Anonymum non gravem & ſincerum Theologum, ſed vafrum impoſtorem & inſignem ſycophantam in toto opere egiſſe.

Nihil aliud ego toto Principio v. *Tentaminis Theologici* docui aut adſerui, quam quod multo ante docuerant & adſeruerant graviſſimi, & ut ita dicam, Catholiciſſimi Scriptores: nempe *Petrus de Alliaco*, *Joannes Gerſon*, *Franciſcus Zabarella*, *Panormitanus Abbas*, *Nicolaus de Cuſa*, *Andreas Eſcobarius*, *Toſtatus* Abulenſis Epiſcopus, *Dionyſius Carthuſianus*; inſignes Aca-

Academiæ Cracovienſis, Colonienſis, & Pariſienſis; quorum omnium teſtimonia ſuis quæque locis deſcripta inveniuntur in eodem *Tentamine*. Verbo dicam: quod ego tradidi de ſubjecto proximo & immediato Eccleſiaſticæ poteſtatis, de ſubjectione Summi Pontificis reſpectu Eccleſiæ, de ſuperioritate Concilii Generalis reſpectu Papæ: ea omnia ipſiſſima ſunt totius Eccleſiæ Gallicanæ, totiuſque Pariſienſis Academiæ Placita notiſſima & celebratiſſima, quorum defenſionem Patrum memoria ſuſcepere Illuſtriſſimus *Boſſuetus* Meldenſis Epiſcopus, *Natalis Alexander*, *Joannes Launojus*, *Ludovicus Dupinus*, *Ludovicus Maiburgus*, Abbas *Fleurius*, & tot alii noſtro & ſuperiori ſæculo illuſtres viri.

Romanus autem Anonymus cum adverſus ſyſtema meum non alia argumenta, neque alia antiquitatis teſtimonia producat, quam quæ adverſus Pariſienſes produxerat *Cajetanus* & *Bellarminus*; adverſus *Richerium Duvallius*; adverſus Declarationem Cleri Gallicani *Dubois*, *Charlaſius*, *Aguirrius*, *Sfondratus*, *Rocabertius*, *Parvus Deſiderius*: unum tamen *Richerium* nominat, a quo ego ſyſtema meum fuerim mutuatus: unum *Richerium* doctrinæ a me traditæ fontem deſignat: unum *Richerianum* ſyſtema exagitat, dum *Pererianum* proſcindit.

Ad hæc vitio mihi vertit Anonymus Romanus, quod ſim *Richerii* amicus: quod *Richerium* non ſemel adlegarim, idque cum honoris præfatione. Neque contentus per dimidium fere primæ Diſſertationis me *Richeriſmi* nomine lacerare; tertiam partem ſecundæ denuo inſumit in deridendo *Richeriano* ſyſtemate, quaſi *Lutherano* & *Calviniano*.

Atqui ego in *Tentamine Theologico* non pluries ſane, quam ter citavi *Richerium*, idque ex ſola Hiſtoria Conciliorum Generalium. Semel quidem Principio v. Num. xvii. ad demonſtrandam varietatem quandam in editionibus Concilii Tridentini. Iterum Principio v. Num. xxxv. ubi de origine ac diviſione Diœceſium agitur. Tertio vero in Secunda Parte *Tentaminis Theologici*, Documento viii. quod ita incipit: *Edmundus* Richerius, *Syndicus & Doctor Academiæ Pariſienſis in Hiſto-*

ria Conciliorum, *&c.* Deum autem obteſtor, Librum *Richerii De Poteſtate Eccleſiaſtica* me non legiſſe, nec vidiſſe, niſi multis menſibus poſt publicatum *Tentamen Theologicum* Luſitanum. Et tamen Anonymus (a) mea omnia ex illo *Richerii* Libro deſumpta perſuadere omnibus nititur. Et iniquiſſimo animo fert, citari a me *Richerium* inter Catholicos Doctores, vel citatum *Doctoris & Syndici Pariſienſis* titulo decorari.

Qui hactenus auctoritatem Eccleſiæ vel Concilii Generalis ſupra Papam impugnabant, ii Pariſienſes nominatim impetebant. Sic fecit *Cajetanus*, ſic *Bellarminus*, ſic *Duvallius*, ſic *Aguirrius*, ſic *Rocabertius*, ſic *Dubois*, ſic omnes, qui poſt editam Pariſiis anno MDCLXXXII. celeberrimam Declarationem *De Poteſtate Eccleſiaſtica*, calamum in illam diſtrinxere.

Contra Anonymus Romanus, dum in Libro meo Pariſienſium ſententiam exagitat, unum *Richerium*, quem ſecutus fuerim, nominat: & cum ſyſtema meum dicere debuerit Pariſienſe, *Richerianum* perpetuo nuncupavit.

Quæris cauſam? audi. Nulla Scholarum doctrina inviſior eſt Romanis Theologis, quam quæ Synodum Eccleſiæ univerſalis Pontifici præfert. Nulla enim cum abſoluta Papæ Monarchia, quam illi ſuarum omnium Prætenſionum baſim & fundamentum agnoſcunt, magis pugnat. A temporibus ergo Baſilienſis Concilii nullum non movent lapidem, nullamque occaſionem prætermittunt acuti homines, ad labefactandam auctoritatem Conſtantienſium Decretorum, in quibus Concilii ſuperioritas manifeſte definitur. Immiſere primum ſub Eugenio IV. *Turrecrematam*, ſub Leone X. *Cajetanum*, ſub Paulo III. *Jacobatium*: deinde ſub Gregorio XIII. *Bellarminum*, ſub Paulo V. *Duvallium*: deinde ſub Innocentio XI. & Alexandro VIII. *Sfrondatum*, *Aguirrium*, *Thyrſum Gunſalvium*, *Rocabertium*: denique ſub Benedicto XIII. *Parvum Deſiderium*, ſub Clemente XII. *Orſium*. Omnes hi Pariſienſes aperte ſunt adorti; eo-

(a) Anonym. pag. 155.

eorum doctrinam plerique cum *Bellarmino* dixere *erroneam & hæreſi proximam*.

Stetit nihilominus & ſtat etiamnum firma & inconcuſſa doctrina Gallorum ab *Alliacenſi*, *Gerſone*, *Almaino*, *Majore*, *Vigorio*, *Richerio*, *Launojo*, *Gerbaſio*, *Dupino*, *Arnaldo*, *Maiburgo*, *Choiſelio Tornacenſi*, *Colberto Monſpellienſi*, præſertim vero a magno *Boſſueto* Meldenſi Epiſcopo egregie defenſa, egregie ſuſtentata. Nec efficere potuit Decreto ſuo adverſus Gallicanam Declarationem lato Alexander VIII. ut priſcam doctrinam, duobus Conciliis Œcumenicis aperte probatam, ejurarent homines ſuarum Libertatum retinentiſſimi. Telum illud fuit Pontificis moribundi, atque adeo imbelle, & ſine ictu.

Romanus ergo Anonymus cum probe intelligeret, ſi in tanta litterarum luce Gallicanum ſyſtema ipſe acerbiori aliqua cenſura nominatim inureret, fore omnino, ut ſua Lucubratio vel in odium veniret vel in deriſum cordatorum omnium virorum: ſyſtema ipſum non ut Gallicanum, ſed ut *Richerianum* proſcindere & oppugnare ſtatuit. Prævidebat enim, ex damnato in ipſa Gallia *Richerii* Libro maximam invidiam redundaturam in *Tentamen Theologicum*, cujus Principia ex uno *Richerio* hauſta, perſuadere ille imperitis Lectoribus ſumma calliditate & arte ſtudebat.

Eo ſane collineaſſe conſilia Anonymi Romani multa evincunt. Primo enim quæ loca Concilii Florentini, *Optati*, *Chryſoſtomi*, *Auguſtini*, *Leonis*, & aliorum Patrum, adverſus ſuperioritatem Concilii Generalis Gallicanis Antiſtibus objecerant *Antonius Charlaſius* aliique Theologi Pontificii, (quibus locis plene ſatisfecit *Boſſuetus* Libro XIII. cap. XII. & ſeqq.) eadem adverſus ſyſtema meum mihi nunc objicit Romanus Anonymus tota fere Diſſertatione prima.

Secundo: ubi mea verba de ſuperioritate Eccleſiæ ſive Concili deſcribit, illa ſemper omittit Anonymus, ex quibus intelligere Lectores poſſent, talia me ſcripſiſſe non ex proprio cerebro, ſed ex ſententia multorum Doctorum probatiſſimorum. Nam cum ego ſcripſi Principio V. Num. XIX. *proprietatem & veluti do-*

minium juriſdictionis ſpiritualis, *totam omnino eſſe penes Corpus Eccleſiæ*, *&c.* proxime hoc præceſſerat: *Ex hac Sanctorum Patrum doctrina colligunt probi Theologi primo*, *&c.* quod Anonymus prætermiſit, ſicut & teſtimonia *Gerſonis*, *Antonii de Roſellis*, *Franciſci Zabarella*, *Andreæ Scobarii*, *Nicolai Cuſani*, & *Academiæ Cracovienſis* immediate ſubjecta. Similiter cum ſcripſi eodem Principio v. Num. xx. *Eccleſiam eſſe veluti dominam clavium*, *&c.* proxime præceſſerat, *ipſi docent*; nempe *Petrus de Alliaco*, *Thomas de Corcellis*, Cardinalis de *Cuſa*, *Alphonſus Toſtatus*, & *Dionyſius Carthuſianus*, quorum omnium loca ibi deſcribuntur, & quorum nullam mentionem fieri voluit Romanus Anonymus, ubi ſyſtema meum exponit. Tertio: cum loca omnia *Tentaminis Theologici* abſolutæ Pontificis Monarchiæ adverſantia, ſedulo collegiſſet & exprobaſſet Anonymus: illud tamen, quod Principio v. Num. xxxv. invenitur, & quo nullum alium exprobari poterat luculentius, (*Formam regiminis a Chriſto inſtituti*, *& ab Apoſtolis exerciti*, *formam quidem eſſe regiminis Monarchici*, *ſed Ariſtocratico tamen & Democratico temperati*) Anonymus omnino reticuit; non alia ſane de cauſa, niſi quod e veſtigio ſubjunctum erat; *quemadmodum diſerte docuit Cardinalis de* Alliaco, *&* Gerſon *in ſuis operibus paſſim*. Quod ubi deſcriberetur, ſtatim legentibus manifeſtabat, Ariſtocraticam & Democraticam in Eccleſia non ſolius *Richerii* inventum eſſe.

Quarto: ſingularem operam in eo ponit Anonymus, ut mihi non aliorum Theologorum opponat teſtimonia, quam Gallorum, præſertim vero *Gerſonis* & *Boſſueti*, quos abſolutæ Monarchiæ ſtabiliendæ ſæpiſſime adhibet: quod non poterit ſane non movere riſum iis, qui utriuſque Opera vel curſim legerint.

Quinto: poſtquam Diſſertatione prima & ſecunda me *Richerianum* fecit, hoc eſt, *Antipariſienſem* (a); Diſſertatione tertia in Conſtantienſes & Baſilienſes Theologos aperte invehitur. Negat eodem in loco haben-

(a) Anonym. pag. 405. 408. 440. & ſeqq.

bendum eſſe Concilium Piſanum & Conſtantienſe, quo Nicænum & Tridentinum. Utriuſque Concilii auctoritatem dubiam dicit: dubium quoque Papam Alexandrum V. dubium Joannem XXIII. His temporibus natam adfirmat doctrinam de ſuperioritate Concilii reſpectu Papæ, quæ tempora ille vocat *tempora confuſionis, tenebrarum, tempeſtatum, & abortuum; in quibus vertigine correpti in errorem prolabebantur vel homines robuſtiſſimi* (a). Ex eo numero *Gerſon* modo *fanaticus*, modo *furibundus*, modo *ſcandaloſe garrulus* ab eo inducitur. Cuſanus vero *ſeditioſis Baſilienſium tumultibus terga vertiſſe*, & meliora edoctus ea quæ in Libris *de Concordantia Catholica* ſcripſerat *abominatus* traditur.

Sexto: cum ex *Thomaſſino* adnotaſſet, doctrinam quæ Eccleſiam ejuſque Concilium Pontifici anteponit, nuperam eſſe & antiquitati ignotam (b): pergit deinde demonſtrare Anonymus, primum ex *Petro de Marca*, *Superioritatem Concilii non jam haberi in Gallia pro fundamento ſuarum Libertatum*: ſecundo ex Abbate *Fleurio*, etiam poſt editam anno MDCLXXXII. celeberrimam Declarationem, *non deſiiſſe apud Gallos communem eſſe ſententiam de infallibilitate Papæ ſeorſim a Concilio*: immeritoque proinde *Gallicanam doctrinam* a me vocari contrariam.

His animadverſis, nemo jam opinor erit, qui dubitet, Anonymi Romani propoſitum eo tetendiſſe, ut ſub prætextu religionis tuendæ doctrina de ſuperioritate Concilii tamquam impia & erronea damnaretur; utque *Richeriſmi* nomine odioſum & abominandum apud imperitos redderetur ſyſtema Pariſienſium.

Tot vero contumeliis & maledictis laceſſitus quid agam? An ſuperioritatem Concilii denuo probem? an Conſtantienſium Decretorum auctoritatem novis firmem inſtrumentis? minime gentium. Abunde utrumque in *Tentamine Theologico* & ejus *Appendice* præſtiti: & ut illa moroſis aut obſtinatis hominibus non ſufficerent, omnibus præſto eſſet magnus *Boſſuetus*, qui utrumque argu-

(a) Anonym. pag. 241. & 243. (b) Ibid. pag. 440.

argumentum ea rerum & verborum copia tractavit, ut nihil abſolutius, nihil validius deſiderari poſſit.

Ne tamen objectas difficultates declinaſſe potius quam ſolviſſe videar, octo quam breviſſime potero demonſtranda ſuſcipio. Primum: ubi de ſubjecto proximo & immediato Eccleſiaſticæ poteſtatis agitur, ſtatum quæſtionis ſubdole diſſimulaſſe Romanum Anonymum, cum tamen ex illa quæſtione cetera omnia omnino dependerent. Alterum: peſſime illum interpretatum eſſe eos *Auguſtini* locos, quibus ego cum omnibus Theologis Gallis ſuperioritatem Generalis Concilii ſuperſtruxeram. Tertium: pari infelicitate objeciſſe Florentinum Decretum. Quartum: Eccleſiaſticam Monarchiam Ariſtocratia ac Democratia temperatam dici non a ſolo *Richerio*, ſed ab *Alliacenſi* quoque, a *Gerſone*, a *Marca*, a *Boſſueto*, a Pariſienſi Facultate, & noviſſime a Proceribus Eccleſiæ Hiſpanicæ. Quintum: Doctrinam de clavibus toti Corpori Eccleſiæ datis, deque ſuperioritate Concilii reſpectu Papæ, natales ſuos non debere *Avenionenſi* ſchiſmati. Sextum vigere illam etiamnum in Gallia, ut Sorbonæ propriam, & a tota Gallicana Eccleſia peculiari ſtudio coli & obſervari. Septimum: Hiſpanis quoque communem & familiarem fuiſſe ad tempora uſque Concilii Tridentini: interruptam Jeſuitarum opera, noſtris temporibus Hiſpanorum Antiſtitum calculis comprobatam refloreſcere. Octavum: damnationem *Richeriani* Libelli in Gallia Jeſuiticæ & Romanæ factionis ſtratagema fuiſſe, ad Sorbonam peregrinis doctrinis corrumpendam, patriaſque Libertates enervandas.

CA-

CAPUT XI.

Ubi de ſubjecto proximo & immediato Eccleſiaſticæ poteſtatis agitur, ſtatum quæſtionis ſubdole diſſimulavit Anonymus.

Ex Soto *igitur*, Navarro, Dupino, Natale Alexandro & Pariſienſi Facultate, *ſtatus ipſe quæſtionis aperitur.*

Origenis & Auguſtini *inſignes loci.*

Toſtatus & Zabarella *Pariſienſibus ſuffragantes.*

UBi poteſtas Eccleſiæ ſive Concilii Generalis comparatur cum poteſtate Papæ, ſolet a Theologis quæri, utri proximius & immediatius poteſtatem a ſe in Evangelio inſtitutam contulerit Chriſtus? Eccleſiæne toti, an uni & ſoli Petro? Quod dum quærunt Theologi ſive Galli, ſive Hiſpani, ſive Itali; non eſt quæſtio, an ad Petrum proxime & immediate dixerit Chriſtus: *Tibi dabo claves regni cælorum*, *Paſce oves meas*. Nemini quippe in mentem venit dubitare de eo, quod eſt in Evangelio planiſſimum atque apertiſſimum. Sed quæſtio eſt, an verbis illis Petrum adlocutus, Petri ipſius ſingularem perſonam; an vero perſonam alterius, cujus Petrus typus eſſet, proprie reſpexerit & contemplatus fuerit Dominus. Nam ſi illud Chriſtus dixit Petro ſolum ut Petro, proximum & immediatum ſubjectum poteſtatis Eccleſiaſticæ eſt ſolus Petrus. Si autem illud Petro Chriſtus dixit, ut alterius perſonam gerenti; huic alteri proximius & immediatius datæ claves credendæ ſunt, quam uni Petro, ex vulgatiſſimo illo Dialecticorum effato: *Propter quod unumquodque tale, illud magis*: quod hac ipſa in re non abſurde adhibetur a *Gerſone*, *Almaino*, ceteriſque Pariſienſibus.

Romanus Anonymus hunc controverſiæ ſtatum vafre diſſimulans, quaſi ego primus & ſolus fuerim, qui ſubjectum proximum & immediatum Eccleſiaſticæ poteſtatis in tota Eccleſia, ſeu in toto Paſtorum Corpore collocarim; objicit primum Evangelica teſtimonia, *Tibi dabo claves*, *Paſce oves meas*: deinde aliquot Patrum

trum loca, in quibus illi videntur innuere, ſoli Petro datas eſſe claves. Ut illud Origenis: *Privatim illud Petro attributum eſt*, Dabo tibi claves regni cœlorum, *priuſquam illud*: Quæcumque alligaveris ſuper terram, &c. Et illud *Tertulliani: Memento claves Dominum Petro, & per Petrum Eccleſiæ reliquiſſe.*

At tacet interim, quod idem ille Origenes alio in loco ſcribit, nempe Tractatu 1. in *Matthæi* cap. XVI. *Si ſuper unum illum Petrum tantum exiſtimas ædificari totam Eccleſiam, quid dicturus es de* Joanne *filio tonitrui, & Apoſtolorum unoquoque?... Quod ſi dictum hoc*, Tibi dabo claves regni cælorum, *ceteris quoque commune eſt, cur non ſimul & quæ prius dicta ſunt, omnium communia?*

Tacet celebratiſſimum illud *Auguſtini* e Sermone CCXCV. qui in antiquioribus editionibus eſt CVIII. *de Diverſis* Num. 2. *Solus Petrus totius Eccleſiæ meruit geſtare perſonam. Propter ipſam perſonam quam totius Eccleſiæ ſolus geſtabat, audire meruit*, Tibi dabo claves regni cælorum. HAS ENIM CLAVES NON HOMO UNUS, SED UNITAS ACCEPIT ECCLESIÆ. Quod ipſum multis aliis in locis a me in *Tentamine Theologico* deſcriptis Principio V. Num. XVIII. ita frequenter conſtanterque docuit *Auguſtinus*; ut illud merito tamquam *Auguſtini* certum atque indubitatum dogma adverſus Ultramontanos Theologos paſſim urgeant noſtri.

Ex hac enim *Auguſtini* doctrina, cui ceteri quoque Patres ſuffragantur, merito colligunt Pariſienſes: *in Petro* (quemodmodum loquitur idem *Auguſtinus*) *fuiſſe Eccleſiæ ſacramentum*: ut ſicut Petrus nomine omnium Apoſtolorum & totius Eccleſiæ Chriſti divinitatem confeſſus eſt; ita nomine omnium Apoſtolorum & totius Eccleſiæ claves ipſe a Chriſto acceperit. Uni autem propterea dictum eſſe, *Tibi dabo claves*, ut in Petro tamquam Principe & capite una Chriſti Eccleſia monſtraretur, hujuſque unitatis typum geſſiſſe crederetur idemmet Petrus. Ita *Gerſon* in Tractatu *de Poteſtate Eccleſiaſtica*, Conſid. XI. *Almainus de Auctoritate Eccleſiæ & Concilii Generalis* cap. VII. *Vigorius* initio Libri *de Monarchia*: *Launojus* Lib. II. epiſtula V. *Boſſuetus* Lib. XIII. cap. 13.

Audia-

Audiatur *Dupinus* in Diſſertatione IV. quæ eſt *de Primatu Romani Pontificis*, cap. II. §. 3. Ubi poſtquam commemoraſſet, quid de Primatu Papæ ſentiant Hæretici, quid Catholici Ultramontani: (ex quibus illi omnem prærogativam negant Romano Pontifici; iſti omnem juriſdictionem & poteſtatem uni Romano Pontifici tribuunt:) in hunc modum Pariſienſium ſententiam, quæ inter duas illas media eſt, exponit (a). *At ceteri Theologi, præſertim vero Galli, Primatum Romanæ Eccleſiæ nec extenuant cum Hæreticis, nec nimium extollunt cum prædictis Theologis. Primo itaque ſtatuunt, in Eccleſia jure divino eſſe quandam Monarchiam, hoc eſt, in ea primum eſſe Romanum Pontificem. Attamen ajunt, Chriſtum immediete ac per ſeſe claves toti Eccleſiæ collectim ſumptæ dediſſe;* ET SUBJECTUM, UT LOQUUNTUR, IMMEDIATUM POTESTATIS ECCLESIASTICÆ NON ESSE PAPAM AUT PRÆLATOS, SED TOTAM ECCLESIAM; *ita tamen ut per Prælatos jus clavium exerceatur*, &c.

Audiatur item *Natalis Alexander* in Diſſertatione VII. in Hiſtoriam ſæculi XIV. & XV. Num.53. (b) *Denique Scholiaſtici poſt Magiſtrum Sententiarum & S.Thomam, claves Eccleſiæ ſemper appellant, non claves S.Petri: quia immediatius Eccleſiæ traditæ ſunt, quam S.Petro, illique commiſſæ ſunt, ut Eccleſiæ perſonam gerenti. Unde ligandi ſolvendique poteſtas* IN ECCLESIA TAMQUAM IN PROXIMO SUBJECTO RESIDET, (*ut cum Pariſienſibus Theologis loquar*) *in S. Petro & ejus ſucceſſoribus tamquam in ſubjecto remoto.* Et poſt pauca: *Ex his porro omnibus evidens eſt, Concilium Generale Univerſalem Eccleſiam repræſentans, Indulgentias plenarias concedere poſſe; & inconcuſſum manere principium illud ex Scriptura Sacra & Traditione acceptum, & a* S. Auguſtino *aperte, frequenter, perſeveranter traditum & inculcatum, claves toti Eccleſiæ a Chriſto datas; immediate ipſi collatam a Sponſo auctoritatem ligandi & ſolvendi;* POTESTATEM JURISDICTIONIS IN TOTA UNIVERSITATE ECCLESIÆ PRINCIPALITER RESIDERE, (*ut Scholiaſtici loquuntur*) QUOD UNUM EST EX FUNDA-

(a) *Dupin.* pag. 333. (b) *Natal.* Tom. VIII. p. 528.

DAMENTIS SENTENTIÆ QUAM ECCLESIA GALLICANA ET SACRA FACULTAS PARISIENSIS PROPUGNANT, *aſſerentes Concilium Œcumenicum ſuperius eſſe Romano Pontifice, ut agnoſcunt* Dominicus Sotus *in* IV. *Sentent. diſt.* XX. *q.* I. *art.* 4. *&* Martinus Navarrus *in cap.* Novit, de Judiciis, *Notabili* III. *Num.* 84.

Audiatur tota Academia Pariſienſis in *Expoſitione* rationum, quibus ipſa motam ſe declaravit ad appellandum a Bulla *Unigenitus*, anno MDCCXVIII. (a). *Ex Scriptura & perpetua Eccleſiæ Traditione conſtat*, claves Regni Cælorum, *ut ait S. Auguſtinus*, non hominem unum, ſed unitatem accepiſſe Eccleſiæ. *Sponſam eſſe Chriſti*, quæ tenet & poſſidet omnem Sponſi ſui & Domini poteſtatem. *Eccleſiam eſſe Catholicam, matrem Fidelium, quæ accepit facultatem ligandi & ſolvendi, judicandi & pronuntiandi*. PROPRIETATEM CLAVIUM PERTINERE AD CORPUS INTEGRUM; AT MINISTERIUM CLAVIUM NON PERTINERE NISI AD MINISTROS A CHRISTO CONSTITUTOS, &c.

Ecce *Ludovico Dupino*, *Natale Alexandro*, totaque ipſa Pariſienſi Academia teſtantibus, poteſtas ligandi ac ſolvendi in Eccleſia reſidens, tamquam in ſubjecto proximo: ecce in toto Eccleſiæ Corpore proprietas clavium: ecce unum hoc ex fundamentis ſententiæ, quam Eccleſia Gallicana & Sacra Facultas Pariſienſis propugnant, aſſerentes Concilium Œcumenicum ſuperius eſſe Romano Pontifice.

Atque id ipſum eſt, quod ex Hiſpanis adnotaverat *Dominicus Sotus*, dum in IV. Sent. diſt. XX. cap. I. art. 4. poſtquam quæſiſſet, *Utrum poteſtas juriſdictionis in utroque foro fuerit collata Eccleſiæ, ita ut in toto Corpore immediate reſideat, an vero in Prælatis ejus*; ſic poſt multa alia ſcribit (b): *Nihil hic dicere molimur de illa moleſta lite, utrum Concilium ſit ſupra Papam, quæ cauſa eſt, ut nunquam Concilia eo candore feliciter celebrentur, quo antiquitus. Sed quia rerum conſequentia hoc expoſcit, ne*

(a) *Recueil General des Actes d'Appel* Tom. I. p. 390. Colon. 1769.

(b) *Sotus* p. 551. & ſeq.

ne clavium Tractatus mutilus maneat, quidquid ſit de illa quæſtione, pro noſtra tenuitate SUBJECTUM PROXIMUM ECCLESIASTICÆ POTESTATIS ET JURISDICTIONIS *explorare debemus. Enim vero* Gerſon, *quem imitatur* Almain, *atque alii fautores illius opinionis, quod Concilium eſt ſupra Papam :* ARBITRATI SUAM OPINIONEM EX HOC FUNDAMENTO PENDERE, *ajunt poteſtatem Eccleſiaſticam juriſdictionis in utroque foro* RESIDERE IN TOTA UNIVERSITATE ECCLESIÆ, *hoc eſt in toto Corpore quod ajunt categorematice, inſtar reipublicæ civilis.*

Majori adhuc diligentia id ipſum eodem ſæculo obſervarat *Martinus Navarrus*, dum in Commentariis ad cap. *Novit, de Judiciis*, Conimbricæ dictatis, Notabili III. Num. 84. hæc ſcribit : *Decimo nono infertur, caute poſitum in definitione poteſtatis Eccleſiaſticæ verbum* inſtituta, *loco illorum verborum*, collata Apoſtolis, &c. *poſitorum per* Joan. Gerſon *ubi ſupra : tum quia longe aliud eſt inſtituere aliquam poteſtatem, aliud illam conferre ac tradere alicui . . . . tum ne oporteret definire,* CUI PRINCIPALIUS ILLA FUERIT A CHRISTO COLLATA, UTRUM ECCLESIÆ TOTI, AN VERO IPSI PETRO? *Quod non eſt conſilium facere in præſentia,* PROPTER MAXIMAM DISCORDIAM ROMANORUM ET PARISIENSIUM. *Illi tenent Petro & ſucceſſoribus datam eſſe hanc poteſtatem, atque ideo Papam Concilio eſſe ſuperiorem : ii vero quibus adhæret* Gerſon, TOTAM DATAM ESSE TOTI ECCLESIÆ, *licet exercendam per unum ;* ATQUE ADEO SALTEM IN ALIQUOT CASIBUS CONCILIUM ESSE SUPRA PAPAM. *Quarum illa, ſcilicet Romanorum, videtur placuiſſe S.* Thomæ 2. 2. *q.* II. *art.* 2. *&* 3. *&* Thomæ *a Vio in eiſdem articulis, & in Apologia* 2. *p. cap.* I. *ubi altius & profundius hoc demonſtrare conatur. Altera vero placuit Panormitano, qui pro Pariſienſibus eſt, in cap.* Significaſti, de Elect. *& in Tract. ſuper Concilio Baſileæ,* QUEM FREQUENTIUS NOSTRI SEQUUNTUR, *ut tradit* Decius *Conſil.* 15. *quam mordicus tuetur* Jacobus Almain *e Sorbona Doctor, &* Joannes Major, *qui idem facit, ajens Romæ nemini permitti tenere Pariſienſium & Panormitani ſententiam : nec rurſus Academiam illa Pariſienſem pati, ut contraria teneatur in ea.*

En

En *Navarrus* in celeberrima Academia Conimbricenſi auditores ſuos publice docens, 1. ex ſententia Pariſienſium *toti Eccleſiæ datam eſſe* ſpiritualem poteſtatem a Chriſto in Evangelio inſtitutam. 2. Inde conſequens eſſe apud eoſdem Pariſienſes, *ut ſaltem in aliquot caſibus* Concilium ſit ſupra Papam. 3. Pro Pariſienſibus eſſe ex Italis Abbatem Panormitanum in Commentariis ad cap. *Significaſti*, *de Electione*, & in Tractatu pro Concilio Baſilienſi. Quem Tractatum, quia *Bellarminus* in Libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* dicit ex Panormitani Operibus avulſum eſſe tamquam erroneum; obſervat doctus quidem Anonymus Gallus in Notis ad *Fleurium*, extare illum in editione Lugdunenſi de anno MDXLII. & a *Gerbaſio* ſuperiori ſæculo Gallice verſum. Extat & Pariſiis impreſſus a *Franciſco Pinſonio* anno MDCXLVI. una cum Pragmatica Sanctione, & Hiſtoria Concilii Baſilienſi *Æneæ Silvii*. 4 Eſſe cum Panormitano pleroſque Canoniſtas. 5. *Joanne Majore* teſte, *nemini permitti Romæ Pariſienſium tenere ſententiam*; nemini rurſus Pariſiis tenere ſententiam Romanorum.

Sed quid ad me, quod Romæ nemini permittatur tenere ſententiam Pariſienſium? An Catholici eſſe non poſſumus, niſi hac in parte ſimus Romani? At *Navarrus* hic utroſque, & Romanos & Pariſienſes, ſupponit Catholicos. Supponit & *Dominicus Sotus* in loco ſuperius deſcripto: ſupponit & *Franciſcus Victoria* in Relectione IV. *de Poteſtate Papæ & Concilii*, Num. 3. (a). Ubi utramque opinionem *probabilem* vocat, utramque *magnos aſſertores habere* teſtatur.

His vero multo antiquior *Alphonſus Toſtatus Abulenſis* Epiſcopus (b), Pariſienſium ſententiam ſic unice veram putat, ut illum jure merito pro ſe laudarint *Vigorius*, *Richerius*, *Dupinus* & *Natalis Alexander*. Nam Quæſtione XLVIII. in cap. XV. Libri Numerorum, fuſe demonſtrare adgreditur *Abulenſis* Antiſtes, *Claves a Chriſto datas eſſe toti Eccleſiæ*: *ſed quia tota Eccleſia non* pote-

(a) *Victor.* pag. 134. (b) *Abul.* Rom. V. pag. 357.

poterat diſpenſare illas, cum non eſſet aliqua perſona, eas Chriſtum tradidiſſe Petro nomine Eccleſiæ. Ex quo colligit: *Claves non fuiſſe datas Petro & aliis Apoſtolis, tamquam determinatis perſonis, ſed tamquam Miniſtris Eccleſiæ*.

Rurſus Quæſtione XLIX. ita diſſerit *Abulenſis*: *Reſpondendum eſt, quod Eccleſia ſuſcepit claves a Chriſto, & Apoſtoli tamquam Miniſtri Eccleſiæ, & nunc Eccleſia illas habet, & Prælati etiam: ſed aliter Eccleſia, quam Prælati*. NAM ECCLESIA HABET SECUNDUM ORIGINEM, ET VIRTUTEM: PRÆLATI AUTEM SECUNDUM USUM EARUM. Et paullo poſt: *Exemplum hujus patet in domino rei, & uſufructuario atque uſurario. Nam Dominus rei habet uſum rei, & confert illum uſum alteri, ſed non eo modo quo habet*.

Hanc vero doctrinam deſumpſiſſe mihi videtur *Toſtatus a Petro Alliacenſi*, qui in Tractatu *de Eccleſiæ, Concilii Generalis, & Romani Pontificis Auctoritate* (a), initio Partis Secundæ hæc tradidit valde memoranda & obſervanda: *Ad confirmandum ea quæ de origine & ordine Eccleſiaſticæ poteſtatis prædicta ſunt, aliqua convenit ſubjungere de origine Juris, quod habent Clerici in bonis quæ Eccleſiaſtica dicuntur. Ubi primo ſupponendum eſt, quod bona Eccleſiaſtica ut Eccleſiaſtica ſunt*, FUERUNT COLLATA COMMUNITATIBUS, ET NON SOLUM PERSONÆ SINGULARI. ET SEQUITUR MANIFESTE, QUOD COMMUNITAS IPSA SOLA HABET IMMEDIATUM ET VERUM DOMINIUM IN HUJUSMODI BONIS, ET NON PRÆLATUS ALIQUIS AUT QUÆVIS PERSONA SINGULARIS. Et poſt alia: *Ideo Papa, cui incumbit cura Eccleſiæ Generalis, eſt univerſalis diſpenſator, tamquam ſupremum membrum Eccleſiæ, omnium bonorum Eccleſiaſticorum ſpiritualium & temporalium; non quidem quod ſit eorum dominus*; SED SOLA COMMUNITAS ECCLESIÆ UNIVERSALIS DOMINA EST ET PROPRIETARIA ILLORUM BONORUM GENERALITER: . . . *Perſonæ autem ſingulares non habent jus dominii, ſed utendi, aut jus diſpenſandi*.

 Hæc

(a) Tom. II. *Gerſon* pag. 942.

Hæc *Alliacenſis*, quibus manifeſte docet, eodem modo ſe habere auctoritatem Eccleſiæ reſpectu clavium, ac reſpectu bonorum ſacrorum.

Quod ſi quis poſt *Toſtati & Alliacenſis* Libros, in manus ſumat *Franciſci Zabarellæ* Cardinalis Florentini nobilem Tractatum *de Schiſmate*, in eo ſequentia inveniet, Pariſienſium doctrinæ, atque adeo noſtræ omnino conſonantia (a): *Id quod dicitur, quod Papa habet plenitudinem poteſtatis, debet intelligi non ſolus, ſed tamquam apud Univerſitatem. Ita quod ipſa poteſtas eſt in ipſa Univerſitate, tamquam in fundamento: & in Papa tamquam in principali miniſtro, per quem hæc poteſtas explicatur*. Et alio in loco (b): *Univerſitas totius Eccleſiæ numquam ita potuit transferre ipſam poteſtatem in Papam, ut deſineret eſſe penes ipſam: quia hoc eſſet contra jus divinum, & contra exempla Apoſtolorum*.

Ex quibus liquido innoteſcit, ſummis quibuſque non ſolum e Gallia, ſed etiam ex Hiſpania & Italia viris, probata eſſe & ſcriptis conſignata, quæcumque a me de ſubjecto proximo & immediato Eccleſiaſticæ poteſtatis tradita ſunt in *Tentamine Theologico*: proindeque Lectoribus egregie imponere Anonymum Romanum, dum unum *Richerium* mihi præluxiſſe contendit in eo quod ſcripſi: claves quoad proprietatem eſſe penes totam Eccleſiam; uſum vero & exercitium penes Papam & Epiſcopos: ſpiritualis hujus poteſtatis dominam eſſe Eccleſiam; Papam vero & Epiſcopos ejuſdem veluti Miniſtros & Executores.

Quod dum ego & ceteri Catholici Scriptores pronuntiamus, non eo ſenſu pronuntiamus, quem nobis adfingit Romanus Cenſor; ut quemadmodum in Republica Romana tota auctoritas Dictatoris & ceterorum Magiſtratuum ab ipſa Republica in ipſos emanabat, atque ex ipſius Reipublicæ arbitrio omnino dependebat; ita quidquid poteſt Papa vel Epiſcopus, a ſola ſit Eccleſia, ab ejuſque arbitrio ſacra miniſteria omnia

(a) *Zabarella* pag. 559. Argent. 1609.
(b) Ibid. pag. 567.

omnia pendeant. Nam aliter atque fit in Romana Republica, ultro agnoſcimus & fatemur, Papatum & Epiſcopatum, adnexamque utrique auctoritatem, non minus eſſe a Chriſto immediate, quam ipſam Eccleſiam: ſed ab eodem Chriſto ita conſtitutam Eccleſiam volumus, ut quamvis unus in ea Princeps emineat, major tamen vis & auctoritas in toto Corpore, quam in membris ſingulis reſideret. Neque porro magis abſurdum eſſe, quod in uſu & exercitio propriæ poteſtatis toti Eccleſiæ Corpori perinde ſubſit Romanus Pontifex, atque toti Corpori Reipublicæ ſuberat Romanus Dictator: quam quod in uſu & exercitio propriæ poteſtatis ſic a Romano Pontifice dependeant Epiſcopi, quemadmodum a Rege ſinguli Magiſtratus. Imo hæc non humanis exemplis, ſed divinis Scripturis & Patrum traditione æſtimanda.

CAPUT XII.

Peſſime Anonymus interpretatus eſt eos Auguſtini *locos, quibus ego cum omnibus Theologis Pariſienſibus ſuperioritatem Concilii ſuperſtruxeram.*
Auguſtinus *ex* Auguſtino *exponitur.*
Reſponſio Illuſtriſſimi Boſſueti.
Æneæ Silvii *locus memorabilis.*

A*Uguſtino* patrono gloriari merito ſolent, quotquot Eccleſiam ejuſque Concilium uni Pontifici anteponunt. Hos ego ſecutus multa ejus generis teſtimonia ex *Auguſtino* deſcripſi Principio v. Numero XVIII. in quibus docet S.Pater Petro figuram Eccleſiæ gerenti datas claves, atque hinc Eccleſiæ datas.

Hæc ut eludat Romanus Anonymus, profitetur ex aliis *Auguſtini* locis ſe demonſtraturum, verba Evangelica (a), *Tibi dabo claves, Paſce oves meas*, (quibus ut ille ait, plenitudo poteſtatis continetur) *ad Sanctum Petrum unice & realiter fuiſſe directas, non vero fi-*

(a) Anonym. pag. 83.

figurate. Quaſi ego aut aliquis Theologus Catholicus unquam negaverimus, verba Chriſti realiter dicta eſſe Petro: vel quaſi non poſſet realiter Petro dici, *Tibi dabo claves*, *Paſce oves meas*, niſi Petro unice hoc dictum eſſet.

Sed audiamus primum *Auguſtini* locum ab Anonymo objectum ex Pſalmo contra partem Donati. *Numerate Sacerdotes vel ab ipſa Petri ſede, & in ordine illo Patrum, quis his ſucceſſit videte. Ipſa eſt Petra, quam non vincent ſuperbæ inferorum portæ*. Ubi per petram quam non vincent inferorum portæ, intellectam ab *Auguſtino non Eccleſiam*, *ſed Cathedram S. Petri*, obſervat Anonymus. Quod nos quidem ei libenter adſentimur: modo Cathedræ nomine intelligatur non ipſa perſona Romani Pontificis, ſed ipſum officium Cathedræ, ipſa ſucceſſio in Apoſtolica Sede, ipſa unitas Apoſtolici ordinis, cujus radix & origo eſt Cathedra Petri: ad eum nempe ſenſum, quo idem *Auguſtinus* dixit in epiſtula CIX. *In Cathedra unitatis doctrinam poſuit veritatis*.

Ad eum item ſenſum, quo *Gratianus* in cap. *Audivimus*, 24. q. 1. ita ſcripſit: *Quicumque ergo ab unitate Eccleſiæ, quæ per Petrum intelligitur, fuerit alienus; execrari poteſt, conſecrare non valet*. Ad eum denique ſenſum, in quo explicando maximam partem Libri XIV. inſumpſit magnus *Boſſuetus*.

Objicit ſecundo Anonymus illud ejuſdem *Auguſtini* in Libro contra epiſtulam Fundamenti: *Multa ſunt quæ in ejus gremio me juſtiſſime tenent... Tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum*. Quaſi non jam obſervaſſet *Dupinus*, ſucceſſionem Pontificum Romanorum ab *Auguſtino*, ſicut ab *Optato*, non propterea adduci pro certo ſigno veræ Eccleſiæ, quia vera Eccleſia demonſtrari non poſſet ex ſucceſſione aliorum Epiſcoporum; ſed quia ſucceſſio Romanæ Eccleſiæ notior eſſet atque illuſtrior ſucceſſione aliarum Eccleſiarum Apoſtolicarum. Quanto autem illuſtrius & magis decretorium eſt alterum illud, quod e Libro *De Agone Chriſtiano* cap.

cap. 30. adlegavimus in *Tentamine Theologico* (a): *Non ſine cauſa inter omnes Apoſtolos hujus Eccleſiæ Catholicæ perſonam ſuſtinet Petrus. Huic enim Eccleſiæ claves regni cælorum datæ ſunt, cum Petro datæ ſunt: & cum ei dicitur, ad omnes dicitur*, Amas me, paſce oves meas.

Quanto illuſtrius & magis decretorium illud, quod in eodem *Tentamine* pariter deſcripſimus e Sermone CXLIX. qui numerari ſolet XXIV. *de Diverſis*: *Petrus multis in locis ſcripturarum apparet, quod perſonam geſtet Eccleſiæ, maxime in loco ubi dictum eſt*, Tibi trado claves regni cælorum, &c. (b). *Numquid iſtas claves Petrus accepit, & Paulus non accepit? Petrus accepit, Joannes & Jacobus non accepit? Sed quoniam in ſignificatione perſonam Petrus geſtabat Eccleſiæ, quod illi uni datum eſt, Eccleſiæ datum eſt. Ergo Petrus figuram geſtabat Eccleſiæ: Eccleſia Corpus Chriſti eſt.*

Quanto illuſtrius & magis decretorium illud, quod in eodem *Tentamine* ſimiliter produximus e Tractatu CVIII. in *Joannem* (c): *Cum omnes eſſent interrogati, ſolus Petrus reſpondit*, TU ES CHRISTUS; *Et ei dicitur*, TIBI DABO, &c. *tamquam ligandi ac ſolvendi ſolus acceperit poteſtatem: Cum & illud unus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus, tamquam perſonam gerens ipſius unitatis acceperit: ideo unus pro omnibus, quia unitas eſt in omnibus.*

Tertius locus objectus ab Anonymo talis eſt ex Enarratione in Pſalmum CVIII. *Quædam dicuntur quæ ad Apoſtolum Petrum proprie pertinere videantur, nec tamen habent illuſtrem intellectum niſi cum referuntur ad Eccleſiam; cujus ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam, propter primatum quem in Diſcipulis habuit: ſicut eſt*, Tibi dabo claves regni cælorum, *& ſi qua hujuſmodi.* Cui geminus eſt quartus & ultimus ex Tractatu CXXIV. in *Joannem*.

Unde ſic argumentatur Anonymus: *His nos docet* Auguſtinus, *Petrum eatenus* FIGURAM GESTASSE EC-

(a) *Auguſt.* tom. VI. p.260.
(b) Ibid. tom. V. p. 706.
(c) Ibid. tom. III. p. 800.

CLESIÆ, *quatenus ratione primatus juriſdictionis*, REPRÆSENTABAT *tamquam ſupremum caput* ECCLESIAM, *eo modo quo caput domus repræſentat familiam, & Rex repræſentat Regnum, &c.* Quod argumentum ille mutuatus eſt ab *Antonio Charlaſio* Libro v. *De Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ*, cap. 11. quo in Opere verſatum illum conſtat ex aliis locis. Fallacia autem in eo eſt, quod *figurandi* verbum ab *Auguſtino* perpetuo ac diligenter uſurpatum, pro *repræſentando* ſumit Anonymus.

Quoniam vero *Charlaſium* ſic adverſus Gallicanam Declarationem ex *Auguſtino* differentem egregie refutavit Illuſtriſſimus *Boſſuetus*: æquum & congruum omnino eſt, ut Romanum Anonymum eadem fraude *Auguſtini* doctrina adverſus me abutentem, non aliis quam ipſis *Boſſueti* verbis refellam.

Sic autem habet Libro XIII. cap. XIX. (a): *Et quidem in Eccleſiaſticis geſtis invenimus, a Summis Pontificibus & Conciliis dictam Eccleſiam Catholicam repræſentari Synodis Œcumenicis, ejus virtutem omnem poteſtatemque complexis, quod ipſa repræſentandi voce deſignare ſolemus. Id autem de Romano Pontifice, neque ab ipſis Pontificibus, neque a Conciliis Œcumenicis, neque uſpiam in geſtis Eccleſiaſticis legimus: ut profecto novam vocem ab Anonymo oporteret probari.* SED EAM PROBARE NITITUR ADDUCTUS BEATI AUGUSTINI LOCIS, *quibus Petrus dicitur Eccleſiam figuraſſe. Qui loci a propoſito longe diſtant. Aliud enim eſt in Petro univerſam Eccleſiæ vim atque auctoritatem fuiſſe præſentem, quo ipſa repræſentandi ratio conſtat: aliud in Petro tamquam in ſacramento, in typo, in figura, & quadam, ut ita dicam, perſona myſtica ſignificatam: quo ritu in Martha, in Maria ſorore, in eodem Petro, in Joanne Apoſtolo, vitam activam & contemplativam ſignificari*, Auguſtinus *paſſim docet*.

Quærit Anonymus, (non Romanus, ſed Gallus) *quo ſenſu Petrus Eccleſiam figuravit, an ut nudum ſignum, an ut pars quædam Eccleſiæ, an ut ſuperior? Facile*

(a) *Boſſuet.* Tom. II. pag. 219.

cile reſpondemus : placuiſſe Chriſto Eccleſiam in Petro figurari ut in Principe . CETERUM EO SENSU REPRÆSENTASSE ECCLESIAM, QUO EJUS VIM OMNEM POTESTATEMQUE UT INSITAM SIBI PRÆSENTEMQUE CONCLUDAT, *quod Concilio Univerſali proprium* ; NON IPSE AUGUSTINUS, *non quiſpiam alius e Sanctis Patribus cogitabat.*

Jam ergo Anonymi argumentum ruit : Ei per quem repræſentatur Eccleſia Univerſalis, conveniunt quæcumque in Scripturis Sacris conveniunt Eccleſiæ ipſi : atqui per Petrum repræſentatur Eccleſia Univerſalis : ergo Petro conveniunt quæcumque in Scripturis Sacris tribuuntur ipſi Eccleſiæ ; verbi gratia, quod ſit columna & firmamentum veritatis, quod qui eam non audierit, ſit habendus tamquam ethnicus & publicanus . *Quæ omnia frigido nituntur æquivoco, ſumpta figurandi voce pro ipſa repræſentatione , quæ totam Eccleſiæ vim atque in unum collectam præſentemque ſiſtat potentiam* . Hactenus Illuſtriſſimus *Boſſuetus*.

Unum hic objici poſſe video , quod vel quia leve, vel quia ab Adverſariis omiſſum , intactum reliquit *Meldenſis Antiſtes* . Eſt autem hujuſmodi : Si *figurare Eccleſiam* apud *Auguſtinum* non eſt *repræſentare Eccleſiam* , fruſtra me , fruſtra ipſum *Boſſuetum* , fruſtra omnes Pariſienſes & Baſilienſes , ex *Auguſtino* probare conatos eſſe ſuperioritatem Concili Generalis reſpectu Papæ. Sed breviter reſpondeo : ex eo quod Petrus Eccleſiam figuravit, eodem judice *Auguſtino* conſequens fieri, ut claves non homo unus , ſed unitas acceperit Eccleſiæ . Huic autem unitati ſubeſſe quodlibet membrum quis neget? Vidit hoc *Æneas Silvius* , cum in Libro *De Geſtis Concilii Baſilienſis* , relato *Auguſtini* loco, quem ex Libro *De Agone Chriſtiano* ſuperius deſcripſimus, hæc ſubjunxit (a): *Quibus ex verbis rabularum noſtrorum fundamenta concutiuntur ac penitus enervantur . Quoniam ſi perſonam Eccleſiæ Petrus ferebat , non Petro , ſed Eccleſiæ vim illorum verborum debemus adſcribere .*

G 4 CA-

(a) *Silvius* ex edit. Pinſonii poſt Pragmat. Sanct. pag. 776.

CAPUT XIII.

Pari infelicitate Romanus Anonymus objecit Patres Florentinos & Baſilienſes.

AD nauſeam uſque (a) obtrudit Romanus Cenſor Decretum Concilii Florentini, quo definitur, *Romano Pontifici in B. Petro plenam poteſtatem traditam eſſe paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam*: ut inde conficiat, Papam uſque adeo non ſubeſſe Eccleſiæ ejuſque Concilio Œcumenico, ut potius utrique præcellat.

Sed Florentina Definitione nihil moveri Gallos ſuos, qua ſolet perſpicuitate ante annos ſeptuaginta oſtendit Illuſtriſſimus *Boſſuetus*, cum Lib. 1. cap. 2. & 3. tum Lib. x. cap. 10. & 11. ut nihil neceſſe ſit ea nunc retractari, quæ de hoc argumento dixi variis in locis *Tentaminis Theologici*.

Quia tamen ſolemnem diſtinctionem illam, qua Theologi noſtri docent, in Florentino Decreto ſumendam eſſe univerſalem Eccleſiam non in ſenſu collectivo, ſed in ſenſu diſtributivo; paſſim irridet & exagitat Romanus Anonymus, diſſimulans eam eſſe magnis auctoribus familiarem & ab ipſa Generali Synodo Conſtantienſi ipſoque Papa Martino V. uſurpatam, ut alibi oſtendi: operæ pretium erit hic tranſcribere inſignem *Andreæ Duvallii* locum, unde edoceri Lectores poſſint, quam infirmo telo me petat idem Anonymus.

Ille igitur Pariſienſis Doctor initio ſuperioris ſæculi celebratiſſimus, qui inter Theologos Pariſienſes antiquæ ſententiæ abolendæ primus auctor extitit, & Cardinalis Perronii inſtinctu Pontificiam infallibilitatem & ſuperioritatem acerrime propugnavit in Libro *De Suprema Romani Pontificis Poteſtate*: ubi ad Florentinum Decretum ventum eſt, mentem ſuam hoc modo aperuit: *Satis conſtat Concilium Florentinum auctoritatem Papæ*

(a) Anonym. pag. 6. & 60. & 75. & 82. & 85. & 89. & alibi.

Papæ ſupra Concilium non definiviſſe. Nam etſi definiat, eum eſſe Chriſti Vicarium, totius Eccleſiæ caput, & a Chriſto illi traditam poteſtatem regendi Univerſalem Eccleſiam; HOC TAMEN NEMO EORUM QUI CONTRA SENTIUNT NEGAT. *Illum enim habere in Eccleſia poteſtatem univerſalem, ubique locorum diffuſam admittunt, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem eum agnoſcunt. Sed contendunt Concilium non propterea definiviſſe, eum in Eccleſiam Univerſalem, quatenus eſt legitime congregata, & eſt in Concilio aliquo generali per ſuos Prælatos unita & conſentiens, poteſtatem habere; tunc enim, inquiunt, Eccleſia Univerſalis eſt totum quoddam, in quamlibet ſui partem etiam præcipuam, qualis eſt Romana Eccleſia, auctoritatem habens: ideoque cum nomen hoc* UNIVERSALIS ECCLESIA *dupliciter ſumatur, diſtributive quidem pro omnibus Eccleſiis per orbem diffuſis; & collective, id eſt, pro Concilio Generali; priori modo ajunt, Concilium Florentinum definiviſſe, Summum Pontificem in Eccleſiam Univerſalem habere auctoritatem, non tamen poſteriori.* Hæc *Duvallius*, quo etiam judice alibi jam vidimus; ſententiam eorum qui pro ſuperioritate Concilii Generalis pugnant, *non eſſe hereticam, neque erroneam, neque temerariam*: ut nihil proinde opus ſit commemorare *Duvallio* antiquiores alios, qui licet poſt celebratam Florentinam Synodum ſcripſerint, noſtram tamen & Pariſienſium ſententiam probabilem atque adeo Catholicam dixere: nempe *Victoriam*, *Sotum*, *Navarrum*, *Cordubam*: & quotquot ſive ex Gallis, ſive ex Hiſpanis, eandem doctrinam in Synodo Tridentina propugnaſſe memorantur.

Non magis nos urget, quod ex Baſilienſibus Patribus refert Anonymus (a), fidem ſecutus Honorati *Tournelii*. *Nempe proteſtatos illos eſſe in quadam Reſponſione ſua Synodali ad objecta Archiepiſcopi Tarentini: Quod Summus Pontifex ſit caput & Primas Eccleſiæ, Vicarius Chriſti; & a Chriſto, non ab hominibus vel Synodis aliis Prælatus, & Paſtor Chriſtianorum; & ei data ſunt a* Do-

(a) Anonym. pag. 62.

Domino claves ; & uni dictum eſt, Tu es Petrus ; *& ſolus in plenitudinem poteſtatis vocatus , alii in partem ſollicitudinis , &c.*

Hæc ſub data diſtinctione ſenſus diſtributivi accepta nemo Catholicorum inficiatur . In ſenſu autem collectivo a Baſilienſibus Patribus admiſſa , & vera credita non probat, nec probabit umquam Anonymus Cenſor; niſi prius oſtenderit , Baſilienſium Patrum opus non eſſe Decreta ſecundæ & decimæ ſextæ ſeſſionis ejuſdem Concilii , in quibus Conſtantienſia Decreta de ſuperioritate Conciliorum Generalium aperte confirmantur : non eſſe item Baſilienſium Patrum opus Reſponſionem illam alteram , quæ incipit , *Cogitanti* , *&c.* & ubi diſerte leguntur , quæ in eodem *Tentamine Theologico* jam adduxi (a): *Etſi Papa major ſit in Eccleſia , non tamen major eſt tota Eccleſia . Uni autem quare dictum eſt* , Tibi dabo claves regni cælorum , *Sancti Doctores exponunt, ut unitatem deſignaret Eccleſiæ : & ideo exordium ab unitate proficiſcitur , ut Eccleſia Chriſti una eſſe demonſtraretur : & Petrus quando claves accepit* , UT DICIT AUGUSTINUS , *Eccleſiam ſignificavit* . IPSA ENIM ECCLESIA , UNUS EST PRINCEPS , ET UNITATI FIDELIUM , NON SINGULIS HÆC JURISDICTIO A DOMINO CONCEDITUR , *&c.* Hæc illi anno MCCCCXXXII. hoc eſt , ſub ipſa fere initia Concilii Præſide Juliano Cardinale , a Martino V. & Eugenio IV. deſignato .

CAPUT XIV.

Eccleſiaſticam Monarchiam Ariſtocratia & Democratia temperatam dixit non ſolum Richerius , *ſed etiam* Alliacenſis , Gerſon , Marca , Dupinus , Gibertus , Boſſuetus , *Academia Pariſienſis , & noviſſime Eccleſia Hiſpanica .*

COmmunitati Eccleſiaſticæ ſeu toti Eccleſiæ ſubjici Romanum Pontificem , ex eo præſertim capite ægre

(a) Concil. Tom. XVII. pag. 459.

ægre ferunt Romani Doctores ; quod inde conſequens eſſe videant, Summum Pontificem non eſſe Monarcham abſolutum & deſpoticum, qualem illum ab omnibus Catholicis haberi vellent. Hinc malevolorum voces in Gallia adverſus *Richerium* : hinc Romani Anonymi in me aculeatæ cenſuræ. Furibundus & ſui impotens vociferatur, *Richeriano* ſyſtemate a me adoptato (a) penitus everti ſupremam illam Petri Monarchiam, quam verbis illis, *Tibi dabo claves*, *Paſce oves meas*, contendit a Chriſto inſtitutam & conditam. Loco hujus Monarchiæ a me induci modo Ariſtocratiam, modo Democratiam quandam, cujus purus miniſter & executor ſit Romanus Pontifex, ad inſtar Dictatoris in Romana Republica: quod ipſum jam antea Baſilienſibus *Turrecremata*, Pariſienſibus *Cajetanus* objecerat. Addit bonus Anonymus, in votis mihi eſſe Primatum Summi Pontificis in ridiculis collocari. Libros hujuſmodi non *De Poteſtate Eccleſiæ* ut *Richerii*; non *De Auctoritate Epiſcoporum*, ut meum; ſed *De Republica Eccleſiaſtica* inſcribi ſatius eſſe, ut ſuos inſcripſit *Marcus Antonius de Dominis*.

Sic Catholica dogmata cum privatis Romanæ Curiæ placitis aſtute involvens, in una eademque claſſe ponit Anonymus & eos qui ſummi Pontificis Primatum negant, & eos qui Primatum illum volunt certis limitibus circumſcriptum. Quo fit, ut ſi recte judicat Anonymus, hæreticorum albo ſint adſcribendi non ſolum *Richerius* & Auctor *Tentaminis Theologici*, verum etiam optimus & laudatiſſimus quiſque ex Gallis Theologis. Quod *Bellarmini* tempore fortaſſe dici non admodum mirandum : noſtro ſæculo publice ſcribi quis ferat?

Quid dico, *Bellarmini tempore non admodum mirandum* : cum ne ipſe quidem *Bellarminus* æquo animo ferret, aliquem propterea dici hæreticum, quod doceret Eccleſiaſticam Monarchiam ex Ariſtocratico & Democratico regimine temperatam eſſe. Nam Libro 1. De

(a) Anonym. pag. 77. & 97.

De Romano Pontifice cap. 5. diſerte hæc ſcribit *Bellarminus : Doctores Catholici in eo conveniunt omnes, ut regimen Eccleſiaſticum hominibus a Deo commiſſum, ſit illud quidem Monarchicum*, SED TEMPERATUM EX ARISTOCRATIA ET DEMOCRATIA. Quoniam tamen præfracte negat Anonymus Romanus, ſenſum *Bellarmini* eſſe ſenſum *Richerii*; produci a nobis alios oportet, quos nulla exceptione eludere poſſit Anonymus.

Primus occurrit *Petrus de Alliaco*, Cardinalis & Epiſcopus Cameracenſis, qui in Tractatu *De Auctoritate Eccleſiæ, Concilii Generalis & Romani Pontificis*, Parte II. cap. III. hanc concluſionem probandam ſuſcipit (a): *Status Monarchicus Eccleſiæ, regimine Ariſtocratico & Democratico temperatur*. Sic autem probat: *Pro cujus declaratione ulterius ſcribendum eſt, quod licet Papalis dignitas a Deo ſit, unde ab homine nec major, nec minor fieri poteſt; tamen uſus plenitudinis poteſtatis ad excludendum abuſum, poteſt Concilii Generalis auctoritate reſtringi: unde antiquo Jure inſtitutum eſt, quod Papa profeſſionem faceret, ut patet ex Libro Diurno, &c. Sed ad regulandum uſum plenitudinis poteſtatis, & excludendum abuſum ejuſdem, conſiderare convenit*, QUOD NON EXPEDIT ECCLESIÆ *quæ habere dicitur Regale Sacerdotium*, QUOD IPSA REGATUR REGIMINE REGIO PURO, SED MIXTO CUM ARISTOCRATIA ET DEMOCRATIA, *&c.*

Alliacenſem Magiſtrum ſequitur fidus Diſcipulus *Johannes Gerſon*, cujus illud eſt in Tractatu *de Poteſtate Eccleſiaſtica* Conſid. VII. (b) *Teneatur ergo ſuum judicium, & maneat Eccleſiaſtica Politia optimo regimine, quali fuit ſub Moyſe gubernata: quoniam mixta fuit ex triplici Politia. Regali in Moyſe: Ariſtocratica in LXXII. ſenioribus: & Democratica dum de populo & ſingulis tribubus ſub Moyſe Rectores ſumebantur*. Et illud ibidem Conſid. XII. (c) *Poteſtas Univerſalis Eccleſiæ vel Generalis Concilii complectitur ſaltem virtualiter omnem poteſtatem & omne Politicum regimen, Regale, Ariſtocraticum, &*

(a) Tom. II. *Gerſon.* pag. 945. (c) Ibid. pag. 248.
(b) *Gerſon.* Tom. II. pag. 237.

& Timocraticum. Et illud ibidem Conſid. xiii. (a), *Omnis Politia Eccleſiaſtica, ſive dominetur unus, ſive pauci, ſive plures boni, dicitur proprie divina: quia ſecundum leges ſupernaturales debet quilibet regulationem accipere. Et ita perſpicuum eſt, quod tres iſtæ Politiæ uniuntur in Eccleſia: aliter quam in Civili Politia, propter divinæ legis unitatem*. Et rurſus paullo poſt: *Poſſumus conformiter ad prædictam Philoſophi Politiam tripliciter diſtinctam in naturali regimine, Politiam Eccleſiaſticam dividere: quod alia eſt Papalis, alia Collegialis, alia Synodalis, ſeu Concilii Generalis. Papalis imitatur Regalem: Collegialis Dominorum Cardinalium imitatur Ariſtocraticam: Synodalis Generalis imitatur Timocraticam*, VEL POTIUS EST PERFECTA POLITIA, QUÆ RESULTAT EX OMNIBUS. Et in Sermone *ſuper Proceſſionibus pro Viagio Regis Romanorum*, Parte iii. Directione ii. (b) *Eſſet omnium optima & ſaluberrima Politia, quæ triplicem hanc bonam complecteretur, Regalem, Ariſtocraticam, & Timocraticam*. EST AUTEM GENERALE CONCILIUM POLITIA TALIS COMPOSITA. Denique ut alia omittamus, in Tractatu *de Statu Summi Pontificis*, Conſid. ii. (c) *Papatus has Politiarum ſpecies non excludit, ſed aſſumit: quemadmodum de Sacro Dominorum Cardinalium Collegio, & de Generali Concilio videre eſt*.

Quod igitur *Gerſon* in Libro *de Auferibilitate Papæ*, Conſid. viii. & in Libro *de Poteſtate Eccleſiaſtica* Conſid. x. & in Libro *de Statu Eccleſiaſtico pro Summo Pontifice*, Conſid. i. (quem unum locum mihi opponit Anonymus (d)) Papam Monarcham vocat, ac pro Monarcha habendum decernit: id eo ſenſu intelligendum eſt, quatenus reſpectu ſingulorum Chriſtianorum ſingularumque Eccleſiarum ſupremus in Eccleſia Catholica Princeps, ſupremuſque & obſervandorum Canonum Executor, & conſervandæ unitatis vindex eſt Romanus Pontifex: vel quatenus ipſe, certis quibuſdam caſibus exceptis, quorum cognitio ac deciſio ad Con-

(a) *Gerſon* Tom.ii. pag.254.
(b) Ibid. pag. 279.
(c) Ibid. pag. 530.
(d) Anonym. pag. 98.

Concilium Generale ſpectat, cetera omnia ſummo jure ſummoque imperio moderatur.

Nihil certe in *Gerſonis* Libris verſatum eſſe oportet, quiſquis illum adducit pro confirmanda abſoluta Papæ Monarchia: cum nihil in præcipuis ejus Scriptis ſit frequentius, nihil apertius, nihil inculcatius, quam ſuperioritas Concilii Generalis reſpectu Papæ ad mentem & ſenſum Conſtantienſium Decretorum, quorum ille auctoritatem paſſim urget. Sed de hoc argumento præſertim agit *Gerſon* in *Propoſitione facta coram Anglicis*: in Libro *de Modis uniendi & reformandi Eccleſiam Univerſalem*: in Libro *de Poteſtate Eccleſiaſtica & Origine Juris*: in utroque Libro *Articulorum contra Petrum de Luna*: in Libro, *An liceat in Cauſis Fidei appellare a Summo Pontifice*: & in tribus Sermonibus Conſtantiæ habitis, quorum prior incipit: *Ambulate dum lucem habetis*. Secundus: *Proſperum iter faciet nobis Deus*. Tertius: *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ*. Ex quo tertio Sermone aliis jam in locis commemoravi ſequens *Gerſonis* teſtimonium, quo nihil luculentius aut magis decretorium laudari poteſt (a) *Vidi nuper* Sanctum Thomam *&* Bonaventuram (*hic reliquorum Libros non habeo*) *dare ſupremam & plenam Summo Pontifici poteſtatem Eccleſiaſticam*: *recte proculdubio*: SED HOC FACIUNT IN COMPARATIONE AD FIDELES SINGULOS, ET AD PARTICULARES ECCLESIAS. *Dum etiam comparatio facienda fuiſſet ad auctoritatem Eccleſiæ ſynodaliter congregatæ*; SUBJECISSENT PAPAM ET USUM POTESTATIS SUÆ EIDEM ECCLESIÆ, TAMQUAM MATRI SUÆ, *&c.* Cui *Gerſonis* loco ſi addantur ea, quæ ipſe tradit in Epilogo Libri *de Poteſtate Eccleſiaſtica* Concluſ. I. & II. meridiana luce clarius evadet, Papam non alio ſenſu a *Gerſone* Monarcham dici, quam quo ſupra explicavimus.

Tertius nobis occurrit *Petrus de Marca* Archiepiſcopus Toloſanus & Pariſienſis, qui in Diſſertatione *de Forma Regiminis a Chriſto inſtituta in Eccleſia*, Num. IV.

(a) *Gerſon* Tom. II. pag. 355.

IV. ſcribit in hunc modum (a) : *Quare dicendum eſt, ex Chriſti inſtituto regiminis Eccleſiaſtici formam hanc eſſe, ut diverſis Paſtoribus committatur; quorum unus ſit Caput Collegii ad tuendam unitatem: hoc eſt, ut politicorum verbis res explicetur*, STATUS ECCLESIÆ EST MONARCHICUS EX ARISTOCRATICO REGIMINE TEMPERATUS.

Et numero XI. (b) *Sed ut ad primum conſilium Chriſti in Eccleſiæ regimine inſtituendo redeamus, ex ſuperius dictis patet, collatam Collegio Apoſtolorum regendi auctoritatem ea lege, ut Petrus præeſſet Eccleſiæ unitati, eamque cuſtodiret. Defunctis autem Apoſtolis non eſt everſa ſemel conſtituti regiminis forma & nova ſubſtituta, præcipue cum prior illa neceſſaria non eſſet temporibus Apoſtolorum, niſi quatenus intererat formam regiminis ſemel conſtituere, quæ in perpetuum eſſet obſervanda. Itaque in Epiſcopis, quos Apoſtoli in locum ſuum ſubſtituerunt, debet vigere idem adminiſtrationis & regiminis ſtatus.* RERUM SUMMA ET INFALLIBILIS POTESTAS ERIT IN COLLEGIO EPISCOPORUM CONJUNCTO CUM PRÆSIDE UNITATIS. His gemina tradit *Marca* in Opere *de Concordia*, Lib. II. cap. 16.

Marcam ſequitur quarto loco *Dupinus* Diſſert. IV. cap. II. §. 3. ubi ex ſententia Theologorum Pariſienſium ita ſcribit (c): *Ajunt ſtatum Eccleſiæ Monarchicum eſſe, regimen Ariſtocraticum; ſeu Eccleſiam Monarchiam eſſe, Ariſtocratico regimine temperatam.*

Poſt *Dupinum* audiendus *Gibertus* (d) in Prolegomenis: *Natura regiminis Eccleſiæ melius cognoſci non poteſt, quam obſervando conſiderandoque modum, quo gubernata eſt per Apoſtolos, illorum Diſcipulos, & Succeſſores iſtorum uſque ad Concilia Generalia, & per novem priora ſæcula, in quibus celebrata ſunt octo prima hujus generis. Porro quamdiu vixerunt Apoſtoli, Eccleſia gubernata non eſt a Petro ut Monarchia, ſed ab Apoſtolis conjunctim cum illo*, UT STATUS PARTIM MONARCHICUS, PARTIM

(a) *Marca* pag. 105.
(b) Ibid. pag. 112.
(c) *Dupin.* pag. 334.
(d) *Gib.* Tom. I. pag. 115.

TIM ARISTOCRATICUS. His gemina repetit in Tractatu *de Eccleſia*, & aliis in locis.

Venio jam ad magnum *Boſſuetum*, qui unus inſtar omnium eſſe poterat, utpote cujus auctoritas ab ipſo Anonymo tanti ſit, ut illam mihi paſſim objiciat. Libro II. cap. I. hæc habet Illuſtriſſimus Præſul (a): *Sunt alia quæ nobis imputant æque falſa. Primum negari a nobis eam, qua Romanus Pontifex Chriſto auctore gaudeat, ſupremam in Eccleſia poteſtatem, ac Monarchicum Eccleſiæ Romanæ ſtatum.* En *Boſſueto Meldenſi* ceteriſque Epiſcopis Gallicanis impacta a Pontificiis Theogis eadem calumnia, quam mihi & *Richerio* impingit Romanus Anonymus.

Audi quo pacto eam propulſet *Boſſuetus: Nos autem fatemur ſupremam in Eccleſia, non tota Eccleſia etiam congregata ſuperiorem: ſive quod idem eſt in Concilio Baſilienſi poſitum*: Papa in Eccleſia major, non tamen tota Eccleſia major.

Vis Monarchiæ vocem? noſtri ultro amplectuntur, & aperte Gerſon: Plenitudo poteſtatis Eccleſiaſticæ a Chriſto collata eſt ſupernaturaliter Petro, ſicut Vicario ſuo & Monarchæ primo, &c. *Quod factum eſt docet*, ut non ſchiſma fieret, ſed reductio ad unum ſupremum: *& idem ipſe noſtrique ſemper inculcant. Neque eo ſecius ipſe & alii iiſdem in locis Concilii ſuperioritatem ex Conſtantienſibus Decretis vel maxime propugnant. Quare totum illud de ſuprema poteſtate, deque Monarchiæ ſtatu extra quæſtionem eſt, & nobis invidioſe objectum.*

At enim Richerius *hanc Monarchiam odit, & ubique inſectatur & Ariſtocratiam Eccleſiaſticam laudat.* NON ILLE QUIDEM ABSOLUTE, SED MONARCHICUM ESSE ECCLESIÆ REGIMEN SUO SENSU PROFITETUR.

Rurſus Libro X. cap. XXVI. (b)*: Hinc Eccleſiæ ſtatus conſtitutus, atque in Theſibus* Franciſci Guillonii (anno MDCLVI.) *juſſu Facultatis ſcriptum*: Eccleſia jure divino Monarchia eſt, tametſi Ariſtocratia temperata. *Monarchia quidem, quod habeat Principem Petrum ejuſque ſuc-*

(a) Tom. I. pag. 65. (b) Tom. II. pag. 112.

ſucceſſorem pro tempore ſedentem ; temperata Ariſtocratia, quod Petri ſucceſſori a Christo dati sunt Episcopi, ut veri Principes ac Judices, ex quorum judicio pronuntiet.

Hinc damnatus de Dominis, *ejuſque propoſitio habita eſt ſchiſmatica & hæretica*, quatenus vult, Eccleſiam universalem secundum se totam esse Ariſtocraticam.

Tandem Libro xiii. cap. xv. ubi *Charlaſium* refellit (a): *Nec melioris notæ illud:* In regimine Monarchico ſupremus Princeps officia aliis etiam Principibus diſtribuit, & juriſdictionem confert. *Demonſtrandum enim erat, Eccleſiaſticam Monarchiam, ſub Chriſto præcipuo Monarcha conſtitutam, ad formam Monarchiæ ſecularis penitus inſtitutam eſſe*.: quod est falsiſſimum. *Id, inquam, ſcripturis & traditione demonſtrandum, non ex proprio cerebro, vaniſque ratiocinationibus Chriſtianæ Reipublicæ forma effingenda erat*.

Ex his Illuſtriſſimi *Boſſueti* locis ſatis ſuperque elucet, ridicule omnino & imperite in patrocinium abſolutæ Monarchiæ ab Romano Anonymo obtrudi adverſus me & adverſus *Richerium* doctrinam facultatis Pariſienſis in cenſura *Marci Antonii de Dominis*: ridicule & imperite uni mihi & *Richerio* imputari, quod Pariſienſibus omnibus imputatum ridet magnus *Boſſuetus*.

Nequis autem exiſtimet, a ſolis Gallis hodie impugnari abſolutam Papæ Monarchiam, habemus ex Hiſpania nuperrime ſcriptum lingua vernacula, & Catholici Regis juſſu ſemel & iterum typis commiſſum, *Judicium a partibus liberum de Romano Monitorio in Parmenſem Ducem*: quo in Opere ab Eccleſiaſticis Quinqueviris, duobus nempe Archiepiſcopis, & tribus Epiſcopis (qui Regis ſunt ab Extraordinario Conſiſtorio) diligenter recognito, ſæpiuſque ad trutinam & incudem revocato; quæſtionem de forma Regiminis a Chriſto in Eccleſiam invecta exacte iuſtituens & proſequens, hæc inter alia ſcribit doctus Auctor, Sect. i.

 Nu-

(a) Tom. ii, pag. 242.

Numer. 53. (a) *Monarchia abſoluta penes Eccleſiæ Caput, judicio & inſpectioni hujus Sanctæ Matris nullo modo obnoxia; non aliquod dogma eſt definitum, nec veritas aliqua revelata, vel per traditionem transfuſa: mera opinio eſt, quæ gravibus difficultatibus non caret, ubi contraria patronos habet ſummæ auctoritatis*.

Et mox Num. 54. *Ut igitur ad primitivos Eccleſiæ mores, unde digreſſi ſumus, revertamur; conſtans eſt, ad totam Eccleſiam pertinuiſſe inſtitutionem legum generalium, ut propriam totius Corporis Paſtorum, quod indubitatus depoſitarius erat infallibilitatis*.

Et Numero 135. (b) *Haud nos latet, conatum Curialium eo proceſſiſſe, ut ad ſuſtentanda jura, quæ ſibi propria putant, utrumque Concilium* (Conſtantienſe & Baſilienſe) *oppugnarint quoad illas deciſiones, quæ illorum placitis adverſantur. Sed ipſorum Conciliorum auctoritas, eorumque defenſio a magnis illis ſuſcepta viris, a quorum probitate penitus alienum erat veritatem ſacrificare vel reſpectui, vel commodo, vel adſentationi; effecere omnino, ut hac in parte irritus ipſorum conatus evaderet*.

Sane prioribus Eccleſiæ ſæculis non ſolum admirationi, ſed etiam ſcandalo eſſet *Monarcham Eccleſiæ* vocari Summum Pontificem. Neque dubito, quin ſiquis aureis illis temporibus *Eccleſiaſticam Monarchiam* diceret; tam profana *Chriſoſtomo* & *Auguſtino* videretur ejuſmodi complexio, quam *Gregorio Magno* viſus fuit titulus *Patriarchæ Univerſalis*. Sed poſtquam Diſciplina in pejus mutata, Romanis auribus placere cœpit, Succeſſorem Piſcatoris magnificentiſſimo & ſuperbiſſimo omnium titulo decorari; & eum qui ſe *Servum ſervorum Dei* inſcribit, Cæſaribus & Regibus coæquari: neceſſe fuit ſignificatum novi vocabuli ad ſenſum cordatiorum Theologorum ſic exponere, ut nova voce retenta, antiqua doctrina unice traderetur.

CA-

(a) Pag. 29. Matriti 1769. (b) Ibid. pag. 68.

CAPUT XV.

Doctrina de clavibus toti Corpori Eccleſiæ datis, deque ſuperioritate Concilii Generalis reſpectu Papæ, natales ſuos non debet Avenionenſi *ſchiſmati*.
Loca ſcripturarum & Patrum pro illa ſuperioritate.
His concinit Gloſſator Gratiani.
Gerſonis, Cuſani, Æneæ Silvii, *& illius, qui in* Boſſuetum *Notas edidit, teſtimonia memoranda.*

DOctrinæ novitatem ut olim Pariſienſibus *Cajetanus*, & poſt *Cajetanum Aguirrius*, ſic mihi nunc objicit Anonymus (a); ajens ſententiam de ſuperioritate Concilii Generalis reſpectu Papæ, tempore & occaſione ſchiſmatis *Avenionenſis* natam & propagatam eſſe. Quaſi non foret in Actibus Apoſtolorum obvium illud: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*. Et in Evangelio *Matthæi* illud: *Si te non audierit, dic Eccleſiæ*. De quo ſic teſtatur *Æneas Silvius* in Hiſtoria Concilii Baſilienſis: *Conſtantienſis Synodus per Spiritum Sanctum directa verba illa* Dic Eccleſiæ, *de Concilio Generali eſt interpretata*.

Quis item neſciat illud *Gregorii Magni* in *Joannem Conſtantinopolitanum*: *Ego itaque per Reſponſales meos ſemel & bis verbis humilibus hoc quod in tota Eccleſia peccatur, corripere ſtudui: nunc per me ipſum ſcribo. Quidquid facere debui non omiſi.* SED SI IN MEA CORREPTIONE DESPICIOR, RESTAT UT ECCLESIAM DEBEAM ADHIBERE. Quis illud *Nicolai I.* ad Regem Lotharium: *Ceterum præcave, nequando nobis, ſecundum Domini præceptum: duos aut tres teſtes adhibeamus: imo* NE HOC ECCLESIÆ SANCTÆ DICAMUS, *& quod non optamus, decreto fias cunctis ſicut ethnicus & publicanus*. Quis illud *Auguſtini* in epiſtula ad Glorium & Eccleſium: *Ecce putemus illos Epiſcopos qui Romæ judicarunt*, (præſidente quidem Papa Melchiade) *non bonos judices fuiſ-*

 ſe:

(a) Anonym. pag. 431. & ſeqq.

ſe. Restabat adhuc Plenarium Eccleſiæ Univerſæ Concilium, *ut ſi male judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur:* De quo recte *Cuſanus* ita ſcribit Libro II. cap. 17. *Ecce ſententiam* Auguſtini, *ſcilicet poſt judicium etiam Papæ Romani, Univerſale Concilium totius orbis ſupereminere, approbatorium, vel abſolutorium, etiam in ipſos Judices. Quam ſententiam multis in locis ipſe* Auguſtinus *dicit*. Nec habet hoc dubium, *cum Chriſtus dicat Petro:* Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus. Quis denique illud ejuſdem *Auguſtini* pro *Cypriano*: *Defenſiones non tales afferebant, quibus illa talis anima moveretur*. Nondum Plenarium Concilium factum fuerat. *Nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere*, quale Stephanus jussit, *niſi Univerſæ Eccleſiæ concordiſſima auctoritate firmati; cui & ipſe* Cyprianus *ſine dubio cederet, ſi jam veritas eliquata & declarata* per Plenarium Concilium *ſolidaretur*. Quæ omnia jam ſuperiori anno adnotata & relata a me fuerant in *Appendice* ad Principium v. *Tentaminis Theologici*, §. VIII. Quo etiam in loco appellationes a Papa ad Concilium Generale, annis centum quinquaginta ante *Avenionenſe* ſchiſma in Eccleſia frequentatas, multis exemplis oſtendi.

Sed ad obſtruendum os Romano Anonymo, ſatis erat conſulere antiquum *Gratiani* Gloſſatorem *Bartholomæum Brixienſem*, ſæculo XIII ſub Gregorio IX. clarum, & Canoniſtarum deinde ſcriptis celebratiſſimum. Nam ad caput *Anaſtaſius*, Diſt. XIX. ſic ait: *Videtur ergo quod Papa tenetur requirere Concilium Epiſcoporum, quod verum eſt, ubi de Fide agitur. Et tunc Synodus major eſt Papa*. Et ad Caput *Ante triennium*, Diſt. XXXI. *Illa conſtitutio* Pelagii II. *fuit iniqua*. Et rurſus: *Statutum* Pelagii *contra Evangelium eſt*. Et ad caput *Legimus*, Diſt. XCIII. ad illud *Hieronymi*, *ſi auctoritas quæritur, orbis major eſt urbe*, ſic habet Gloſſa: *Eſt hic argumentum, quod ſtatuta Concilii præjudicant ſtatuto Papæ, ſi contradicant*. Et ad cap. *Nemo*, cauſa IX. q. III. *Cum Papa peccat, poteſt ejus peccatum Eccleſiæ denuntiari, ſecundum monitionem Evangelii*. Et in caput *Si Papa*, Diſt. XL. *Certe credo, quod ſi notorium eſt crimen*

Papæ,

Papæ, quandocumque inde ſcandalizatur Eccleſia, & incorrigibilis eſt, quod inde poſſit accuſari: nam contumacia dicitur hæreſis, Diſt. 81. *Can. Siquis Preſbyteri*.

Scio quid de his Gloſſæ locis argutati poſtea fuerint *Turrecremata* & *Cajetanus*. Sed ſcio etiam a *Gerſone*, *Almaino*, & *Boſſueto*, merito irriſas ejuſmodi interpretationes. Ac de auctoritate quidem Gloſſæ memorabile in primis eſt, quod in Libello primo Articulorum contra *Petrum de Luna*, Art. XXIII. ſcribit idem Gerſon (a). *Quod Gloſſa, quæ dicit, quod pro alio crimine quam pro hæreſi poteſt Papa accuſari, vel deponi, non habet auctoritatem vel robur tamquam ab uno Gloſſatore vel homine, ſed a Chriſto immediate & expreſſe; alioquin non faceret fidem, &c.*

Audiatur noviſſimus Scholiaſtes *Boſſueti* ad Lib. V. cap. 11. editionis Lucanenſis (b): *Illud mirum imprimis, a tam docto viro*, (de *Aguirrio* loquitur) *hoc aſſeri potuiſſe: ante* Gerſonem *in Gallia neminem extitiſſe, qui Papæ infallibilitati adverſaretur. Quaſi tempore Bonifaciani diſſidii non fuiſſet omnium Gallic ordinum adverſus Pontificiam infallibilitatem unanimis ſententia. Quaſi, ut etiam vetuſtiora commemoremus, ambigua eſſet* Ivonis Carnotenſis, Hincmari Remenſis, *& aliorum Gallorum ea de re doctrina, &c.* Quæ de infallibilitate heic ſcripſit eruditus Notator, ſuppoſita rerum inter ſe connexione, nemo non videt ad ſuperioritatem quoque potuiſſe referri non incongrue.

(a) *Gerſon* Tom. II. p. 296. (b) *Boſſuet.* Tom. I. p. 314.

CAPUT XVI.

Doctrina de ſuperioritate Concilii Generalis viget etiamnum in Gallia, ut Sorbonæ propria: & a tota Eccleſia Gallicana peculiari ſtudio colitur & obſervatur.
Teſtimonia Gerſonis, Almaini, Majoris, Pighii, & *aliorum.*
Objectio ex Petro de Marca *ſoluta a* Boſſueto. *Objectio ex* Fleurio *ſoluta ab ipſo* Fleurio, & Realio.
Abſurde & periculoſe novam dici doctrinam Concilii Conſtantienſis.

Joannes Gerſon in Sermone S. Antonii Abbatis* Conſtantiæ habito anno MCCCCXVII. poſtquam retuliſſet Conſtantienſe Decretum de auctoritate Conciliorum Generalium ſupra quemlibet etiam Papam, continuo addit (a): *Huic veritati fundatæ ſupra petram Sacræ Scripturæ quiſquis a propoſito detrahit, cadit in hæreſim jam damnatam*, QUAM NULLUS THEOLOGUS, MAXIME PARISIENSIS ET SANCTUS ASSERUIT.

Jacobus Almainus Sorbonæ Theologus ſub Ludovico XII. in *Expoſitione circa Deciſiones Ockami* cap. XVIII. (b) *Eſt Concluſio quam tenent omnes Doctores Pariſienſes & Galli, quod poteſtas Papæ eſt ſubjecta poteſtati Concilii.*

Joannes Major Theologus item Pariſienſis ejuſdem ætatis, in Tractatu *de Auctoritate Concilii ſupra Papam* in reſponſione ad octavum argumentum *Cajetani* (c): *Noſtra Facultas a diebus Concilii Conſtantienſis (in qua plures exercitatos habebis Theologos, quam in duobus vel tribus Regnis) ſic hanc partem fovet, quod nulli hoc licuit aſſerere oppoſitum probabile.*

Albertus Pighius Belga Libro VI. *de Hierarchia Eccleſiaſtica*, cap. 2. *Horum Decretorum auctoritatem aſſeruit* Joannes *ille* Gerſon *Cancellarius Pariſienſis, quem in hodiernum uſque diem univerſa illa Schola ſequitur.* Hæc ille anno MDXXXVIII. Id

(a) *Gerſon.* Tom. II. p. 355. (c) Ibid. p. 1144.
(b) Tom. II. *Gerſon.* p. 1070.

Id ipſum medio ſæculo xvi. de Pariſienſibus teſtati ſunt in Hiſpania *Franciſcus a Victoria*, qui Pariſiis operam dedit ſtudiis Theologicis: *Dominicus Sotus Victoriæ* Diſcipulus: *Antonius a Corduba* Franciſcanus: *Martinus Navarrus* Conimbricenſis Doctor: quorum omnia loca alibi fuerunt a me deſcripta.

Sed ut ad recentiora tempora deſcendamus, quis neſciat, anno MDCLXXXII. in generali totius Gallicanæ Eccleſiæ Cœtu ab Epiſcopis fere quadraginta, quamplurimiſque Doctoribus probatam, & ut ita dicam, canonizatam fuiſſe eandem doctrinam? Quam cum deinde oppugnare & proſcindere cœpiſſent multi exterorum, validiſſime ac feliciſſime tutati ſunt *Dupinus* & *Boſſuetus*, avitam eam Gallicanæ Eccleſiæ & Sorbonæ ſententiam eſſe; ex Actis publicis clariſſime oſtendentes. Ut nihil jam neceſſe ſit commemorari a nobis tot poſteriorum Epiſcoporum Litteras Paſtorales, tot Regiorum Procuratorum Orationes, tot Supremarum Curiarum Decreta; in quibus paſſim ex ſenſu Eccleſiæ Gallicanæ & Conciliorum potior auctoritas prædicatur: & Romanorum Pontificum infallibilitas impugnatur.

At *Petrus de Marca*, inquis, in Opere (a) *De Concordia* negat, Gallicanas Libertates ſuperioritate Concilii Generalis inniti. Fateor: ſed diſſimulas, quid de hoc *Marcæ* dicto poſtea ſcripſerit *Boſſuetus*. En ejus verba Libro XI. cap. XV. (b) *Haud me fugit Illuſtriſſimum atque doctiſſimum* Petrum de Marca, *dum Romanis auribus parcit, aliam ac novam de Libertatibus Gallicanis protuliſſe ſententiam, &c. Hæc docet vir ſumma doctrina, ſummoque ingenio, at, quod nemo neget, verſatili & in utramque partem æque compoſito. Profecto ut verum ſit id quod exponit, nihil tamen vetabat Libertatem Gallicanam duplici fundamento niti: nec a Gallo Juriſconſulto ac Præſule circa Libertatem antiqua & vulgata rejici oportebat, dum ei muniendæ nova fulcimenta quærit, &c.* Pergit deinde ex Monumentis Gallicæ Hiſtoriæ demonſtrare *Boſſuetus* contrarium ejus, quod *Marca* adfirmarat.

(a) Anonym. p. 446. (b) *Boſſuet.* Tom. II. p. 137.

Quid, quod mea nihil intereſt, ſententiam de auctoritate Concilii Generalis ſupra Papam fundamentum haberi Libertatum Gallicanarum? Sufficit Scholæ Gallicanæ ſententiam eam eſſe, quod *Marca* non negat, ſed plane fatetur. Qua de re conſulere etiam potes (a) *Realium* Tomo VII. cap. IV. Sectione XI. ubi ille agit de hac diſcordia duorum *Præſulum*, *Marcæ* & *Boſſueti*: & ad calcem ejuſdem Sectionis XI. ubi ille deſcribit Senatus Conſultum Pariſienſe anno MDCCXXXIII. promulgatum, de non ſuſtinendis vel permittendis in Gallia Ultramontanis Placitis.

Addis, Abbate *Fleurio* teſte *vix unum in Gallia reperiri Regularem, cui certa non ſit infallibilitas Romanorum Pontificum*. Sed & hoc ante Gallis objectum ſic diſſolverat idem *Boſſuetus Fleurii* Magiſter, Libro XI. cap. XX. (b) *Unum eſt quod auctorem volo eſſe monitum, ne confecta omnia putet, ſi Gallos aliquos, qua in re victoriam plerumque collocat, pro ſe afferat & laudet*. NEQUE ENIM NOS FUGIT MULTOS ETIAM GALLOS IN POSTERIORIS ÆVI ADULATIONEM ABREPTOS. De *Charlaſio* loquens, te hic adloqui videtur *Boſſuetus*. Adeo in te omnia quadrant, ut *Charlaſii* egregium exſcriptorem.

Ne tamen Patrono *Fleurio* gloriere, audi quid ipſe doceat in Diſſert. *De Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ*, quæ aliis ſubjuncta Pariſiis prodiit anno MDCCLXII. & uberrimis Notis illuſtrata ſeorſim edita eſt anno MDCCLXV. (c). *Ultramontana Axiomata*, QUÆ NOS IN GALLIA REJICIMUS, *ſunt ſequentia* I. *Poteſtas temporalis ſic ſpirituali poteſtati ſubordinatur, ut Reges & Supremi Principes ſaltem indirecte obnoxii ſint Judicio Eccleſiæ, &c.* II. *Tota auctoritas Eccleſiaſtica reſidet principaliter in Papa, tamquam in fonte, &c.* Et poſt alia: *Sub Julio II. anno* MDXII. *eo devenitur, ut Papæ infallibilitas ſuſtentetur. Novæ hæreſes pleroſque Theologos excita-*

(a) *Real.* Tom. VI. pag. 595. & 692.
(b) *Boſſuet.* Tom. II. pag. 145.
(c) *Fleur.* p. 406. & 418. prior. edit & p. 20. & 34. alt. edit.

tarunt ad illam amplectendam, & obſtinate tuendam. *Et quia* antiquitas his Axiomatibus parum favet, *qui illis ſunt præoccupati, lectionem Patrum & Conciliorum perinde reſpiciunt, quaſi inutilem, imo pernicioſam quandam curioſitatem. Regulares plerique ſuarum exemptionum & privilegiorum cauſa Papæ addicti, amplexati ſunt hanc novam doctrinam, eique adnexuere ideam quandam pietatis, aptam delicatis conſcientiis imponere, &c.* Et rurſus poſt multa alia: *Alterum Axioma fundamentale noſtrarum Libertatum eſt, quod poteſtas Papæ non eſt illimitata, &c.*

Denique vel ex ſola controverſia, quæ quinquageſimum jam annum durat in Gallia occaſione Bullæ *Unigenitus*, certiſſimum atque exploratiſſimum tibi eſſe poterat, tam non credi a Gallis Papam infallibilem & Generali Concilio ſuperiorem, quam talem credi ab Italis. Nam qui Bullam illam recipere nolunt, ſaltem ut Regulam Fidei, ii pro certo habent, falli in Definitionibus ſuis poſſe Romanum Pontificem. Qui vero recipiunt, ii non privilegium Apoſtolicæ Sedis, ſed conſenſum Univerſalis Eccleſiæ obtendunt. Nemo enim neſcit, ſuffragiis ac teſtimoniis undique ex Italia, Hungaria, Hiſpania, Luſitania, diligentiſſime conquiſitis, univerſalem & unanimem acceptationem Bullæ conciliare conatum eſſe Cardinalem Biſſium Epiſcopum Meldenſem. Nemo neſcit, eo ſolo principio innixos, Bullam non ſuſcipientibus, tamquam hæreticis, Sacramenta denegare demum cœpiſſe aliquos Galliæ *Antiſtites*: unde funeſtiſſimum illud ſchiſmatis exarſit incendium, quo ab annis fere quadraginta laborat, florentiſſimum & Chriſtianiſſimum Regnum.

Jam quod paullo ante monueras ex Actis diſſidii inter *Philippum Pulchrum* & *Bonifacium VIII.* ubi Papa dicitur (a) *ſolus a Deo vocatus in plenitudinem poteſtatis ... non habere ſuperiorem in terris, neque a quopiam judicari poſſe*. Quod item ex *Gerſone* in Libro *De Eccleſia-*

(a) Anonym. p. 42. & 436.

eleſiaſtica Poteſtate conſid. x. atteſtante ante Concilium Conſtantienſe multos extitiſſe, *qui Papalem auctoritatem ſupra Concilium poſuerint*. Neutrum objicere tu quidem debebas, ſi animadvertiſſes, verba illa de Romano Pontifice tempore Bonifacii VIII. eo tantum ſenſu vera credita a Gallis, quo poſito ipſis adhuc liceret a Papa ad Concilium Generale appellare, quemadmodum revera appellarunt cum ipſo Rege omnes Regni Ordines. Verba autem *Gerſonis* haud neceſſario intelligenda de Gallis, quos ille non nominat: & quando nominaſſet, ad ſummum probare, non omnibus Gallis ante Concilium Conſtantienſe placuiſſe ſententiam de ſuperioritate Concilii Generalis. Sed mihi ſatis eſt, quod a *diebus Concilii Conſtantienſis* (ut ſupra a Majore audivimus) *nulli licuerit in Pariſienſi Academia oppoſitam aſſerere*. Ex hoc enim aliiſque ſuperioribus teſtimoniis invicte conficitur, non immerito *Gallicanam doctrinam* a me dictam, quæ Generali Concilio Pontificem ſubjicit.

Quod ſi *Thomaſſinus* Romanis auribus palpaturus, ex illo *Gerſonis* loco collegit, *nuperos natales* eſſe doctrinæ Pariſienſis: pari jure reponere poſſent Lutherani, *nuperos natales* eſſe ejus dogmatis, quo Catholici credimus, Libros Deutero-Canonicos eſſe divinos. Quia ante definitionem Tridentinæ Synodi divinos eſſe Libros illos, multi cum *Cajetano* & *S. Thoma* vel negarunt vel dubitarunt. Pudere ergo debebat viros graves, adverſus Conſtantienſe Concilium ea exceptione uti, qua ipſis hæreticis liceret Conciliis omnibus Œcumenicis.

CA-

CAPUT XVII.

Hiſpanis quoque communis & familiaris fuit eadem doctrina uſque ad tempora Concilii Tridentini.
Interrupta Jeſuitarum opera, noſtris temporibus refloreſcit ſtudio Antiſtitum Hiſpanorum.
Refloreſcit & in Germania ſtudio & opera celeberrimi Stockii *Canonici Vindobonenſis.*

Doctrinam de ſuperioritate Concilii Generalis ad tempora uſque Concilii Tridentini Hiſpanis hominibus communem & familiarem extitiſſe, plane oſtendunt cum teſtimonia *Andreæ Scobarii*, *Joannis de Segovia*, *Alphonſi Toſtati*, *Alphonſi a Caſtro*; tum epiſtula Caroli V. ad Clementem VII. tum geſta Hiſpanorum Epiſcoporum in ipſo Tridentino Concilio. Quæ omnia partim in *Tentamine Theologico*, partim in ejus *Appendice* jam commemoravi.

His nunc ſuperaddi debent ex eadem natione eodemque ſæculo XVI. Scriptores duo longe doctiſſimi & celebratiſſimi: nempe *Alphonſus Guerrerius* in Tractatu Hiſpanice ſcripto *De Modo & Forma celebrandi Concilii Generalis* ad Regem Carolum I. Januæ impreſſo anno MDXXXVII. & *Didacus de Alava Eſquibelius* Epiſcopus primum Aſturicenſis, dein Archiepiſcopus Granatenſis, in Tractatu Latino *De Concilio Univerſali*, ad Philippum II. Granatæ edito anno MDLII. Utriuſque notitiam debemus nuperrimo & ſapientiſſimo Auctori Operis Hiſpanici, cui titulus eſt, *Judicium a partibus liberum De Romano Monitorio adverſus Parmæ Ducem*, Matriti impreſſi anno MDCCLXVIII. & MDCCLXIX.

Interruptam in Hiſpanis Jeſuitarum opera antiquam doctrinam facile credat, quiſquis *Lainii*, *Salmeronis*, *Turriani*, *Suarezii*, *Valentiæ*, *Toleti*, & aliorum conatus pro tuenda Papali Monarchia conſiderarit.

Licet enim alii extiterint intra illa tempora ex Dominicanis, Franciſcanis, ceteriſque Religioſis Familiis, qui Ultramontanis quoque Placitis adhæſerint; nulli tamen arctius adhæſere, nulli adhærendum ab aliis terri-

terribilius curavere, quam Jeſuitæ, quorum apud Hiſpanos maxime formidandum ſemper extitit magiſterium.

Quæ autem nunc Hiſpanicæ nationis ſententia ſit, luculenter demonſtrat docta *Lucubratio* paullo ante memorata. Quæ tametſi privati Scriptoris ſit opus, quia tamen Catholici Regis juſſu a duobus Archiepiſcopis, tribuſque Epiſcopis quam diligentiſſime diſcuſſa, atque examinata eſt, & adſidente etiam Regio Procuratore *Joſepho Monninio* comprobata, publicum & authenticum Inſtrumentum quoddam haberi debet, unde certo colligere poſſimus & judicare, quæ doctrina his temporibus vigeat in illo Regno.

Atqui Sectione L. numero 42. hæc ibi legimus, quæ ex Hiſpanico Autographo fideliter vertam Latine (a): *Ex priori noſtro Concilio Toletano, quarto ſæculo exeunte celebrato, plane agnoſcitur, quam ab antiquo in Eccleſia Hiſpanica viguerit illa ſententia, quæ docet omnibus Epiſcopis datam eſſe poteſtatem clavium*. Vobis datæ ſunt claves regni cælorum, *ajebat S. Epiſcopus Dictinius ad Collegas ſuos, ubi de ſe reconciliando, ac de damnanda* Priſcilliani *hæreſi agebatur. Si in Evangelio uni data dicitur poteſtas clavium, id ex ſententia priorum Patrum eo ſpectavit, ut demonſtrarentur claves unitati datæ, non vero uni ſoli datæ. Non uni, ſed unitati*. D. Auguſt. *Sermon.* 108. de Diverſis, *cap.* 2.

Rurſus Numero 135. (b) *Doctis Scriptis magni* Gerſonis *Abbatis Panormitani, & Speculatoris, ſic in Gallia præverſa ſunt conſilia Romanorum; ut contraria doctrina præfocata mox in ipſis cunis viſa fuerit. Pari triumpho in Hiſpania inclaruere* Lucubrationes *magni Megarenſis*, (Andreæ Scobarii) *& doctiſſimi* Alphonſi Toſtati *; poteſtque optimis argumentis confici, ſuperioritatem Conciliorum Generalium, ſaltem in certis caſibus, ad faſtigium rei evidentis perveniſſe apud antiquos Canoniſtas noſtros; opinionemque eam fuiſſe communiter receptam, antequam inundatione factioſorum Scriptorum effectum eſt, ut illarum Lucubrationum pene obliteraretur memoria*.

Non

(a) Pag. 23. (b) Ibid. pag. 68.

Non poſſum non magnopere lætari, tanto cœtui probatam eſſe non ſolum doctrinam a me traditam de ſubjecto proximo & immediato poteſtatis Eccleſiaſticæ; verum etiam ipſiſſima monumenta, quibus eam ſubſtruxeram tum in *Tentamine Theologico*, tum in ejus *Appendice*. Quam *Appendicem*, doctrinamque in illa contentam, cum ab doctis Hiſpanis adlegatam & comprobatam viderit Romanus Anonymus, non jam ſolos Olipſiponenſes, ſed etiam Matritenſes, credo, indignabundus vocabit *Richerianos*.

Quid ſolos Hiſpanos commemoro? Paucis abhinc diebus allata mihi de Belgio eſt impreſſa Synopſis centum Articulorum de diverſis ac præcipuis ſacræ doctrinæ capitibus, auctore & promotore celeberrimo *Stockio* Canonico Vindobonenſi: quos Articulos ſuperiori anno propugnari in poſterum juſſit Regina Imperatrix in omnibus Academiis Auſtriacæ ditionis; ita ut nemo gradum aliquem in ipſis Academiis obtinere deinceps poſſit, quin Articulos illos publice ſit profeſſus. Horum autem unus eſt de ſuprema Regum & ſummorum Principum etiam in Clericos poteſtate, deque abſoluta & omnimoda illorum independentia in temporalibus adminiſtrandis. Alius de eorundem Regum ac Principum dominio eminenti in bona Eccleſiaſtica. Alius de neceſſitate *Regii Beneplaciti* pro recipiendis & exequendis Bullis Pontificiis. Alius de infallibilitate in definiendis dogmatibus ſoli Catholicæ Eccleſiæ tribuenda. Alius de ſuperioritate Conciliorum Generalium etiam reſpectu Papæ.

Quas doctrinas apud inclytam Nationem Germanicam inſtaurari nunc & refloreſcere, non poteſt mihi maximum gaudium non afferre, qui ex Scriptis *Gulielmi Ockami*, *Henrici de Haſſia*, *Jacobi de Paradiſo*, *Nicolai de Cuſa*, aliorumque inſignium Germanorum probe ſciebam, quantum ſtudia hæc in Germania floruerint ſæculo XIV. & XV.

CA-

CAPUT XVIII.

Damnatio Richeriani *Libelli in Gallia ſtratagema fuit Jeſuitica & Romanæ factionis, ad Sorbonam peregrinis doctrinis corrumpendam.*
Teſtimonia Boſſueti, *& ejus nuperi Scholiaſtæ, quibus concinit* Racinius, *& Scholiaſtes* Fleurii.
Richerii *Reſponſio ad* Duvallium *Romano Anonymo apprime quadrans.*

HAnc factioſorum hominum molitionem fuſe deſcripſit ipſe *Richerius* in Defenſione ſua adverſus *Duvallium*, quem ille Libro I. cap. I. adfirmat ſibi *ex amiciſſimo inimiciſſimum evaſiſſe, propter cauſam Academiæ Pariſienſis defenſam contra Jeſuitas Magiſtros ſuos*. Deſcripſit poſt *Richerium Belletus* in ejus vita, & *Dupinus* in *Hiſtoria Eccleſiaſtica* ſæculi XVII. ubi de *Richerio* & *Sirmundo* agit. *Racinius* item in *Epitome Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Tom. X. Art. IV. Ejuſdem adcuratam ſummam nobis reliquit Illuſtriſſimus *Boſſuetus* Libro X. cap. XXIV. Luxemburgenſis editionis de anno MDCCXXX. qua hucuſque uſus ſui; Libro autem VI. capite XXIV. cum editionis Amſtelodamenſis de anno MDCCXLV. tum Lucanenſis de anno MDCCLXVI. quas in præſentia adhiberi oportet ob eruditas Notas, quibus caret Luxemburgenſis.

En *Boſſueti* verba: *Quibus curæ erat occultis machinationibus abſolutam poteſtatem tueri, ac Pontificiam auctoritatem omnibus Conciliis atque adeo toti Eccleſiæ anteferre; Galliam obſtare ſuis conſiliis ſentiebant, idque Aulicis artibus agebant, ut apud nos quoque adulatoriæ ſententiæ irreperent. Cæſo igitur per infandum parricidium Henrico Magno, Pupillo ſub Principe Regina Matre ac Tutrice, Itala atque Italis ſepta, opportunum tempus mutationibus nacti ſpargere Libellos adulatoria doctrina pleniſſimos, Doctoribus adblandiri, ſacram Facultatem quacumque arte poterant in partes trahere, ſi poſſent; ſin minus graves ciere motus; & inteſtinis agitare diſſidiis.*

Erat tunc Syndicus Sacræ Facultatis Edmundus Richerius,

rius, ACER HOMO, ET PRISCORUM ACADEMIÆ PARISIENSIS DECRETORUM TENAX: *is igitur Ultramontanis conatibus vehementiſſime repugnabat.*

Habemus hic Italos in Gallia, ſub Rege Pupillo & Itala Regina *Aulicis artibus agentes, ut apud Gallos quoque adulatoriæ ſententiæ irreperent:* habemus Richerium *priſcorum Academiæ Pariſienſis Decretorum tenacem:* habemus ea de cauſa *Ultramontanis conatibus vehementiſſime repugnantem*. Sequitur exponere, quos & quales tantæ molitionis adminiſtros adhibuerint Romani Curiales ad Sorbonam corrumpendam, perdendumque *Richerium*.

Pergit igitur *Boſſuetus* capite XXV. *Per eam occaſionem non ita multo poſt, eodem ſcilicet anno* MDCXI. DEFENSURUS RICHERIUS ANTIQUAM SCHOLÆ PARISIENSIS DE CONCILIORUM POTIORE AUCTORITATE SENTENTIAM, *tacito nomine Libellum edidit* de Eccleſiaſtica & Politica Poteſtate, *cui conjunctæ prodierunt Sacræ Facultatis pleræque cenſuræ, quas memoravimus.*

Richerius *undique magnis hoſtibus premebatur: magnæ illi Facultatis ac totius Academiæ nomine* CUM JESUITIS *ſimultates: magno hominum concurſu ac ſtudio lites agitabantur: perviceratque* Richerius, UT JESUITÆ SENATUS-CONSULTO HÆC PROFITERI JUBERENTUR, ſe amplecti Scholæ Sorbonicæ doctrinam, maxime in iis quæ ad ſalutem auctoritatemque Regum, atque ab antiquo ſemper cuſtoditas & obſervatas Eccleſiæ Gallicanæ Libertates tuendas pertinerent; QUARUM LIBERTATUM VALIDISSIMUM FIRMAMENTUM MAJORES NOSTRI IN CONCILIORUM PRIORI AC SUPERIORI POTESTATE REPONEBANT, *&c.*

Ob eam cauſam *Richerio* infenſiſſimi, illum maledicentiſſimis Scriptis vexare cœperunt e Jeſuitis *Cotonus, Richeomius, Gualterus*, & *Sirmundus*. Qui ut idem *Richerius* refert in loco ſuperius memorato, & ex *Richerio Duvinus* in *Vita Sirmundi*, ſub nomine *Jacobi Coſmæ Fabritii* Libellum famoſum edidit cum hoc titulo, *Notæ Stigmaticæ ad Magiſtrum triginta paginarum.* Quo nomine *Sirmundus* impetebat *Richerium*, cujus *Lucubratio de Eccleſiaſtica Poteſtate* non pluribus quam triginta

ginta conſtabat paginis . Ex iis autem quæ in *Richerium* poſtea evomuere *Fontana*, *Colonia* , *Patuletus* , & alii ex eadem Societate Scriptores ; facile intelligi poteſt, Jeſuitarum odium illud in *Richerium* fuiſſe quaſi hereditarium ; fuiſſe & communem cauſam Societatis Jeſuiticæ impugnationem *Richeriani* Libelli . Sed revertamur jam ad Illuſtriſſimum *Boſſuetum*.

Concitabatur interim adverſus Richerium *Romana Curia*, *Aula Regia*, *ipſa Facultas*, *ipſe Clerus*. *Cardinalis Perronius*, *Archiepiſcopus Senonenſis* , *vocatique Comprovinciales Epiſcopi ita decreverunt :* Libellum *de Eccleſiaſtica & Politica Poteſtate* cenſura & damnatione dignum judicavimus & declaravimus , ac reipſa cenſura notamus & damnamus , ob multas quas continet propoſitiones, expoſitiones , & allegationes falſas , erroneas , ſcandaloſas , & ut ſonant hæreticas : juribus tamen tam Regis quam Eccleſiæ Gallicanæ, ejuſque immunitatibus & libertatibus per nos non tactis . Pariſiis in Congregatione Provinciali, anno MDCXII. Martii 13.

Similem cenſuram ediderunt Paulus Hulardus *Archiepiſcopus Aquenſis & Comprovinciales : niſi quod de Regis juribus & Eccleſiæ Gallicanæ Libertatibus tacuerunt eodem anno , Maii 24. Nullæ notatæ ſunt propoſitiones :* QUOD CENSURÆ GENUS ANCEPS, MULTI QUEREBANTUR, SACRÆ DOCTRINÆ NIHIL AFFERRE LUCIS , FRAUDIBUS LOCUM DARE.

Mox relatis ex epiſtula *Perronii* ad *Caſaubonum*, quæ *Perronius* ipſe in Libro *Richerii* improbaſſet ; & quæ eo potiſſimum ſpectabant , ut *Richerius* Regiæ auctoritatis infenſus calumnioſe demonſtraretur & redderetur: narrationem ita proſequitur *Boſſuetus* : *Ex his ſane patet*, *ſatis multa ſuppetiiſſe* , *quæ Aulam* , *quæ Clerum*, *quæ omnes Ordines in* Richerium *commoverent*. *Certe nemo dixit fuiſſe damnatum*, *quod antiquam Facultatis ſententiam tueretur*: *quique ea de cauſa maxime inſectabantur eum*, ALIA OBTENDEBANT. . . .

His igitur liquet Sacram Facultatem nihil antiquæ doctrinæ derogaſſe , *cum* 1. *Septembris anno* MDCXII. *edita conclusione* Richerium *Regio juſſu Syndicatu expulit* :

CUM

CUM EI GRATIAS AGENDAS CENSUIT OB RES PRÆCLARE IN SYNDICATU GESTAS, LIBRO EXCEPTO DE ECCLESIASTICA ET POLITICA POTESTATE. *Qua exceptione nec Librum cenſura notavit, quem nec examinaverat; & cetera, ac præſertim ea quæ apud Dominicanos geſſerat, approbavit.* (Cum videlicet in Generali Dominicanorum Capitulo ſuperiori anno Pariſiis celebrato, obfirmate interceſſerat & pervicerat *Richerius*, ne in publicis Theſibus a Dominicano Præſide propugnarentur hæ propoſitiones: *Romanum Pontificem in fide & moribus errare non poſſe: In nullo caſu Concilium eſſe ſupra Papam, & aliæ ejus generis.*)

Pergit *Boſſuetus*: *Ceterum ex Regeſtis Parlamenti conſtat*, NUNCII APOSTOLICI AUDITOREM, CLAM CONVENTIS DOCTORIBUS, ID EGISSE OMNI OPE, UT LIBER CENSURA NOTARETUR, IMPROBARETURQUE ANTIQUORUM FACULTATIS EDITIO DECRETORUM; *tamquam* Richerius, *his editis, arcana Facultatis ejus injuſſu, præter fas evulgaverit: aut ſacra Facultas clam haberi vellet, quæ a ducentis annis palam decreta & geſta in Acta retulerit.*

Ex hac candidiſſimi Antiſtitis narratione planum eſt, Judice Illuſtriſſimo *Boſſueto*, factioſe magis quam juſte peractam eſſe *Richeriani* Libelli condemnationem, cum ex parte Epiſcoporum, tum ex parte Academiæ: odio magis & calumniæ, quam æquitati & juſtitiæ inſervitum: occultis præſentationibus, non ingenua libertate, cenſuram extortam.

Quod ut magis magiſque in propatulo collocetur, lubet *Boſſueto* adjungere nuperum ejus Scholiaſten, qui in Notis ad Libri VI. caput XXV. hæc habet: Richerius *in ſua Defenſione Lib.* I. *cap.* II. *pag.* 37. *multum queritur, ſe a* Perronio *maligne & calumnioſe impetitum apud Reginam, Magnates & Epiſcopos*. E. G. *dixerat* Perronius *Cancellario*, *Richerium* tantumdem de ſtatu Matrimonii Reginæ ejuſque liberorum, quantum de Pontificis auctoritate, qui primum Regis Matrimonium diremerat licitum, dubitare.... Qua ex calumnia deliberatum eſt de *Richerio* compingendo in Baliſticam Pariſienſem. *Vide reliqua in ipſa* Richerii *Defenſione.*

Rurſus in Notis ad illum locum *Appendicis Boſſuetianæ*, Libro II. cap. XII ubi *Boſſuetus* ſcribit, *Duvallius Richerii vehementiſſimus inſectator*; hæc addit Scholiaſtes: *Et antiquæ Sorbonæ hoſtis infenſiſſimus* Duvallius, *totus in eo eſt, ut fraudibus ac fallaciis* Richerium *&* Vigorium *adoriatur. Sed tam temerarius quam acerbus accuſator, tot probra jacit, tot miſcet falſa veris, tot dicit denique quæ veriſimilia non ſint, ut ſibi ipſe detrahat fidem, &c.*

In Notis autem ad illum locum ejuſdem *Appendicis*, Libro III. cap. I. ubi *Boſſuetus* ex perſona adverſariorum ait, *At* Richerius *hanc Monarchiam odit*, ita diſſerit Scholiaſtes: *Hoc quidem eſt falſiſſimum, & a* Richerii *adverſariis calumnioſe dictum. Nam* Richerius *numquam in ea re vel tantiſper diſceſſit a doctrina Majorum Scholæ Pariſienſis, atque adeo* Gerſonis, *qui tradiderunt*, STATUM MONARCHICUM ECCLESIÆ REGIMINE ARISTOCRATICO ET DEMOCRATICO TEMPERARI: *quod etiam firmis rationibus comprobavit* Petrus Alliacenſis, *&c.* Et poſt pauca: *Quiſquis attente legerit hujus Doctoris defenſiones, virum hunc cognoſcet cum priſcæ doctrinæ retinentiſſimum, tum diſſerendi induſtria omnibus Theologis utiliſſimum.*

Sed iniquitatem & infamiam cenſuræ adverſus *Richerii* Librum latæ ab Epiſcopis & Doctoribus, nemo diſtinctius prodidit, quam neotericus *Fleurii* Notator, cujus Animadverſiones ad *Fleurii* Diſſertationem *de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ* impreſſas habeo, ut ſuperius memini, anno MDCCLXIII. & MDCCLXV. Locus de Gallico in Latinum fideliter converſus talis eſt (a): *Simplex expoſitio eorum quæ in Gallia facta ſunt adverſus* Richerii *Librum, ſatis eſt ad demonſtrandam univerſo orbi injuſtitiam hujus cenſuræ. Anno* MDCXI. *Opus ſuum* de Eccleſiaſtica & Politica Poteſtate *compoſuit* Richerius, *rogatu Primi Præſidis Verdonenſis, qui ſcire optabat, quid eſſent Libertates Eccleſiæ Gallicanæ. Ceterum ubi primum hujuſmodi Liber editus eſt, ſtatim quam ſibi mole-*

(a) *Fleurii* edit. prior. pag. 119. edit. poſt. pag. 114.

moleſtus ille eſſet, manifeſtarunt Nuncius Pontificius, Epiſcopi & Doctores quidam, Ultramontanis placitis omnino addicti. Qui nulli labori parcentes, ut in Richerium *multorum odia concitarent, auctores fuere, ut in gratiam* Gamachæi, *qui ut* Richerio *amicitia conjunctiſſimus derelinquere illum nolebat, reſignaretur Abbatia S. Juliani Turonenſis. Et Nuncius quidem* Gamachæum *penitus corrupturus, pollicitus eſt operam ſe daturum, ut Bullæ gratis expedirentur. Antiſtites vero ad labefactandam Cancellarii integritatem, burſam ei duorum millium ſcutorum dandam curarunt per Epiſcopum Pariſienſem. Qua accepta fidem ſuam interpoſuit Cancellarius, fore, ut* Richerius *conjiceretur in Baliſticam Pariſienſem. Interea Nuncii Auditor, duce Doctore* Forgemontio *veteri Jeſuitarum amico, ſuffragia a Doctoribus oſtiatim emendicabat, pro* Richerii *Libro configendo. Parlamentum de iis edoctum, quæ ab Nuncio & Epiſcopis geſta erant; Senatuſconſulto Kalendis Februarii anno* MDCXII. *ad Decanum & Doctores dato, jubet ab omni deliberatione abſtinere eos, donec Curia certior fieret, quid de eo negotio placeret Regi. Nuncius & Epiſcopi cum viderent, male ſibi rem ceſſiſſe apud Facultatem, damnationem* Richerii *apud Reginam & Aulicos urgere cœperunt. Eorum ſtudiis adſentiri abnuebat Regina, ejuſmodi negotio ſuperſedendum rata. Sed interim ſollicitata Papæ Litteris, animadverti in* Richerium *poſtulantis, rem Epiſcoporum arbitrio permittit. Tunc in ædes Cardinalis* Perronii *convenientes Epiſcopi Provinciæ Senonenſis, Librum* Richerii *a ſe minime lectum condemnant, tamquam qui multas propoſitiones compleEteretur falſas, erroneas, ſcandaloſas, hæreticas, & ſchiſmaticas. Addunt juſſu Cancellarii, cenſuram intelligendam eſſe ſalvis Regis juribus, ſalviſque Gallicanæ Eccleſiæ Libertatibus. Quæ exceptio ubi Romam perlata eſt, Curiæ ſupra modum diſplicuit. Itaque Archiepiſcopo Aquenſi auctor eſt Nuncius Pontificius, ut illico in ſuam Provinciam itinere ſuſcepto, Librum ibi* Richerii *ſynodice proſcribendum curet, nulla exceptione addita. Nihil ille cunctatus, acceptiſque de communi Cleri theſauro, qui apud Pariſienſem Epiſcopum ſervabatur, quatuor millibus ſcutorum: (multo quippe ære alieno oppreſſus, novis impenſis faciendis*

impar erat) *Aquis in Concilio trium Suffraganeorum* Richerii *Librum condemnavit abſque ulla exceptione*. *Et ut Apoſtolico Nuncio gratior & acceptior in dies fieret*, *Bullam in Cœna Domini per totam Diœceſim ſuam publicavit*, *&c.*

Superioribus Scriptoribus omnino concinit *Racinius* in *Hiſtoria Eccleſiaſtica* ſæculi XVII. ubi de *Richerio* agit. Nam Articulo IV. §. IX. hæc habet (a): *Jeſuitæ opportunam occaſionem rati ulciſcendæ Societatis a peſſimis officiis*, *quæ ipſa ſibi videbatur a* Richerio *accepiſſe*; *Cenſuram adverſus Librum ejus latam tota Gallia diſſeminarunt*. *Et revera occulti illi motores erant totius moliminis*: *quippe qui callida diſſimulatione tecti*, *omnia clanculum dirigebant*.

En qualem Cenſuram Antiſtitum Gallorum mihi ad terrorem toties objicit Romanus Anonymus: cenſuram non cauſæ merito, ſed pecunia comparatam: cenſuram a venalibus animi procuſſam, *Perronio*, *Huraldo*, *Duvallio*, *Forgemontio*, *Gamachæo*: verbo dicam, cenſuram a Jeſuitis procuratam, a Jeſuitarum fœderatis confectam: in qua non Catholica fides, non vera dogmata; ſed Catholicis dogmatibus aſtute involuta Papalis Monarchia, everſis Conſtantienſibus & Baſilienſibus Decretis ſuperſtructa, unice quæreretur & ſolidaretur.

Scilicet nihili Romæ fieri ſolent ceteræ aliæ Cenſuræ Cleri Gallicani, quippe quæ Ultramontanis Placitis plerumque adverſantur. At maximo in pretio Romæ habetur Cenſura paucorum Epiſcoporum obnoxiorum adverſus *Richerium*, quia Ultramontanis Placitis videtur favere.

Gratias autem ego agendas cenſeo Romano Anonymo, qui cum optime ſciret *Richerii* Librum non ſolum in Gallia, ſed etiam Romæ fuiſſe proſcriptum; nobis tamen Luſitanis non jam Romanum *Indicem*, ſed Gallicum obtruſit.

Non quod plus ille Gallico Indici, quam Romano defer-

(a) *Racin.* Tom. X. pag. 256. Colon. 1754.

deferret: ſed quod perſuadere fraudulenter legentibus voluit, doctrinam meam, cum nec Gallica eſſet nec Romana, eſſe neceſſario *Richerianam*; hoc eſt, hæreticam & ſchiſmaticam. Sed quod *Richerius* ipſe *Andreæ Duvallio* reſpondit in ipſo fere exordio Apologiæ ſuæ: id ego in fine prioris meæ Diſſertationis reſpondeo Anonymo Romano: *Quando in tuo elencho me tam ſæpe laceſſis, quod nimium quantum Synodi Conſtantienſis decreta tuear: hercle id argumento certiſſimo eſt, me ſupremam Papæ auctoritatem minime denegare, ut revera non denego. Sed inter me & te ceteroſque convitiatores, hoc dumtaxat intercedit diſcrimen;* QUOD VOS ABSOLUTAM ET PURE MONARCHICAM POTESTATEM ETIAM SUPRA CANONES ET GENERALE CONCILIUM PONTIFICI ADDICITIS; EGO VERO CUM PATRIBUS CONCILII CONSTANTIENSIS ET ANTIQUIS SCHOLÆ SORBONICÆ DOCTORIBUS CONTENDO, STATUM AUT PRINCIPATUM ECCLESIÆ ESSE MONARCHICUM ARISTOCRATICO REGIMINE ESSENTIALITER TEMPERATUM: *ita ut Primatus ad particulares Eccleſias diſgregatas ſolummodo juridice extendatur, minime vero ad Univerſalem Eccleſiam congregatam in Concilium.*

DISSERTATIO II.

Quæ tota occupatur in eluenda ſchiſmatis labe, qua Librum meum adſperſit Romanus Anonymus.

CAPUT I.

Summa ſchiſmaticarum idearum, quibus Librum meum refertum dicit Anonymus Romanus.

SEcunda Diſſertatio Anonymi Romani hoc Thema præfert: *Debent Epiſcopi multum timere ab eo Libro, in quo deprehenditur turbida quædam ſchiſmaticarum idearum confuſio*. In eodem argumento verſatur dimidia fere pars tertiæ Diſſertationis. Quare ut expeditius mea procedat Reſponſio, ſecunda hac Diſſertatione comprehendam, quidquid de ſchiſmate mihi objecit Romanus Cenſor in utraque Diſſertatione.

Ex quinque igitur potiſſimum capitibus ſchiſma ille inſectatur in *Tentamine Theologico*. Primum inde, quod in Dedicatione Operis ideam ſeu notionem Primatus collocavi ex *Sancto Bernardo* in eo, quod Summus Pontifex *Supremus quidam ſit Inſpector*, *quidamque Superintendens Generalis omnium Epiſcoporum*, *omnium Chriſtianorum*, *omnium Eccleſiarum*.

Secundo inde, quod ex illo *Matthæi* XXVIII. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo & in terra*: *Euntes ergo docete*, *&c.* Et ex illo *Joannis* XX. *Sicut miſit me Pater*, *& ego mitto vos*, *&c.* Primi Principii loco ſtatui: *Juriſdictionem Epiſcoporum in ſemet ſpectata*, *hoc eſt*, *in ſua inſtitutione a Chriſto facta*, *præſciſſiſque vel lege vel conſuetudine vel reſervatione in contrarium*; *Juriſdictionem quandam eſſe abſolutam & illimitatam*, *reſpectu ſingularum Diœceſium*.

Tertio inde, quod ex illo loco *Matthæi* XVIII. *Dic Eccleſiæ*, &, *Quæcumque alligaveris ſuper terram*, *&c.*

Prin-

Principio Quinto collegi, Papam judicio Eccleſiæ, atque adeo Generalis Concilii ſubjacere.

Quarto inde, quod negavi Papam eſſe caput Eccleſiæ univerſalis, qua univerſalis.

Quinto inde, quod rurſus in Dedicatione Operis (ut Anonymo viſum eſt) Papam auctoritate legislativa & coactiva ſpoliavi.

Antequam adverſario meo reſpondeam, Lectores monitos volo, eadem illum vafritie qua in priori Diſſertatione, uſum eſſe in ſecunda: dum Libro meo odium conflaturus, callide diſſimulat, conſectaria ab eo inde deducta, ſi quid virium habent, non magis a me, quam a probatis Theologis aliis omnium nationum ſolvi oportere. Unde cordati Lectores iterum colligent, Romano Anonymo nihil aliud propoſitum eſſe, quam oppugnato *Tentamine Theologico*, Ultramontana Placita ad mentem, & ſenſum *Cajetani* atque *Bellarmini* firmatum ire. Quo rurſus plane innoteſcet ejus vana religio & mala fides.

CAPUT II.

Primum Caput accuſationis diluitur. Infidelitas Venetæ Verſionis notata. Demonſtratur eſſentia Primatus ex Bernardo *recte collocari in Suprema Inſpectione ſeu Generali Superintendentia Papæ ſuper omnes fideles eo fine, ut unuſquiſque in ſuo officio contineatur.*

In eandem rem ſuffragia Gregorii Magni, *Concilii Florentini*, Gerſonis, Almaini, Soti, Bellarmini, Fleurii, *& ejus Scholiaſtæ.*

Diſtinctio poteſtatis ordinariæ & extraordinariæ in Apoſtolis reſpectu Succeſſorum impugnatur.

Quomodo ſalva prærogativa Primatus, poſſent eſſe ſinguli Epiſcopi quodammodo Œcumenici.

ITalica Verſio *Tentaminis Theologici*, ubi in Dedicatione Operis agitur de definiendo Primatu, ſenſum meum ita expreſſit: *Arduum ſane negotium & tranſitus periculi & aleæ plenus! Arduum quidem ſolus inficiabitur, qui parum vel nihil ſciat, quanta contentione*

agitari hoc argumentum in Scholis ſoleat. Ubi riſu dignum vocat Anonymus (a), dici a me in Scholis contentioſe agitatum, quod ex Fide eſt notiſſimum, & receptiſſimum. Hinc colligit, me ſpreta Catholica doctrina; novam & inauditam, atque adeo falſam Primatus notionem tradere voluiſſe. Cum enim, inquit, non ſolum Theologis, verum etiam ipſis puerulis notiſſima & perfectiſſima res ſit ex Cathechiſmo Primatus Papæ; quid opus erat, tamquam de re dubia & in Scholis controverſa anxie quærere, anxieque rimari, quid rei eſſet ille Primatus?

Sed primo: ſenſus propoſitionis meæ non ille eſt, quem mihi adfingit interpres Venetus. Pro eo enim quod ille habet: *Arduum quidem ſolus inficiabitur, qui parum vel nihil ſciat, quanta contentione in Scholis argumentum hoc agitari ſoleat*: hoc exprimendum erat ex Luſitano Autographo: *Arduum quidem ſolus inficiabitur, qui neſciat, quam parum vel nihil argumentum hoc in Scholis agitari ſoleat*. Ubi illud *parum vel nihil* non cum verbo *ſcire*, ſed cum verbo *agitari* conjungitur. Itaque tantum abeſt, ut ego dixerim contentioſe in Scholis agitatum Primatum Papæ; ut potius parum vel nihil in Scholis illum agitari profeſſus fuerim, & ex hoc ipſo Scholaſticorum ſilentio difficultatem definiendi Primatus exagerarim. Quotus enim quiſque eſt de Scholiaſticis, qui data opera inquirat, in quo conſiſtat Primatus eſſentia? Si Gallos excipias, dicere auſim, a tempore *Cajetani* & *Bellarmini* ex ducentis Theologis vix reperiri unum, qui hanc quæſtionem tractarit.

Secundo: animadvertere debebat Romanus Ariſtarchus, aliud eſſe dubitare de exiſtentia & inſtitutione Primatus, aliud quærere, in quo ſit Primatus eſſentia. De exiſtentia & inſtitutione Primatus inter Catholicos Theologos omnino convenit. De illius eſſentia *Cajetano*, *Bellarmino*, ceteriſque Ultramontanis Doctoribus litem movent Galli, Galloſque nuper ſecutus *Febronius Trevirenſis*, & ex Hiſpanis ac Luſitanis hodie

(a) Anonym. pag. 109.

die doctiſſimus quiſque. Sicut gratiam ſufficientem & gratiam efficacem exiſtere, nullus Catholicus dubitat. In quo autem gratiæ ſufficientia & efficacia reponenda ſit, maxima Scholaſticorum contentione diſputatur.

Ridiculum item putat Romanus Anonymus (a), Primatum Papæ a me dici recte definitum loco illo *Bernardi* ad *Eugenium*: *Quid tibi aliud dimiſit Petrus Apoſtolus? Non tibi ille dare, quod non habuit, potuit; quod habuit, hoc dedit*, SOLLICITUDINEM SUPER ECCLESIAS. Negat hoc loco in mentem veniſſe *Bernardo* Primatum Papæ definire, propterea quod nulla ibi mentio Primatus occurrat. Quæ argumentandi ratio ſi admittatur, nullus Scripturæ locus jam erit, unde Primatus Petri & ſucceſſorum probari valeat: quandoquidem nuſquam Scripturarum invenitur vox *Primatus* accommodata Petro.

Ego vero contendo, ex mente *Bernardi* definitionem illam fuiſſe Romani Primatus. Quod ut planum & apertum fiat, integrum *Bernardi* locum deſcribi oportet. Libro II. *de Conſideratione* cap. 6. ita ille ſcribit (b): *Nec locus eſt otio, ubi ſedula urget ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Nam quid tibi aliud dimiſit Sanctus Apoſtolus? Non tibi ille dare, quod non habuit, potuit. Quod habuit, hoc dedit, ſollicitudinem, ut dixi, ſuper Eccleſias.* Agit hic *Bernardus* manifeſte de officio Papæ, hoc eſt, de eo in quo Petro ſuccedit Romanus Pontifex. Id nihil aliud eſſe definit *Bernardus*, quam ſollicitudinem omnium Eccleſiarum. Ergo in hac ſollicitudine omnium Eccleſiarum conſtituit *Bernardus* officium Papæ, quatenus eſt Petri ſucceſſor. At officium Papæ, quatenus eſt Petri ſucceſſor, id ipſum eſt, quo Papa Primas in Eccleſia conſtituitur.

Hanc fuiſſe *Bernardi* mentem & ratiocinationem, plane demonſtrant ea, quæ ipſe præmiſerat capite 4. Sic enim *Eugenium* monuerat: *Et hæc tui conſideratio in tria quædam dividitur, ſi conſideres, quid, quis, &* qua-

(a) Anonym. pag. 110.
(b) *Bernard.* Tom. I. pag. 186. edit. Venet. 1765.

qualis ſis. *Quid in natura*, *quis in perſona*, *qualis in moribus*. *Quid*, *verbi gratia*, *homo*: *quis*, PAPA VEL SUMMUS PONTIFEX; *qualis*, *benignus*, *manſuetus*, *vel quidquid tale*. In ſecunda igitur ex tribus memoratis conſiderationibus, ſpectatur a *Bernardo Eugenius*, ut Papa vel ſummus Pontifex. Atqui poſt abſolutam primam capite quarto & quinto, in qua *Eugenium* ut hominem definit *animal rationale mortale*; ad ſecundam mox tranſit *Bernardus* capite ſexto, in qua *Eugenium* ut Papam vel Summum Pontificem definit Petri ſucceſſorem in ſollicitudine omnium Eccleſiarum, prout ſupra audivimus. Ergo in hac univerſali ſollicitudine officium Papæ, quatenus eſt Petri ſucceſſor & in Eccleſia Primas, tamquam Primatus eſſentiam collocat *Bernardus*.

Rurſus capite 8. ſecundam hanc conſiderationem reſumens, ſeu ut ille ait, *altius indagans*, *quam perſonam in Eccleſia Dei gereret* Eugenius; Romani Pontificis a ceteris Epiſcopis differentiam & præ ceteris Epiſcopis excellentiam, atque adeo Primatum ipſum diſerte ponit *Bernardus* in ſollicitudine & cura univerſali omnium Chriſtianorum? Sic enim ſcribit (a): *Sunt quidem & alii Cæli janitores*, *& gregum paſtores*: *ſed tu tanto glorioſius*, *quanto & differentius utrumque præ ceteris nomen hereditaſti*. *Cui enim non dico Epiſcoporum*, *ſed & Apoſtolorum ſic abſolute & indiſtrete tota commiſſæ ſunt oves?* Si Petre amas me, paſce oves meas. *Quas? Illius vel iſtius civitatis aut regionis*, *aut regni*? Oves meas, *inquit*: *Cui non planum non deſignaſſe aliquas*, *ſed aſſignaſſe omnes*? *Nihil excipitur*, *ubi diſtinguitur nihil*. Et mox: STAT ERGO INCONCUSSUM PRIVILEGIUM TUUM TIBI *tam in datis clavibus*, *quam in ovibus commendatis*. Heic nomine *privilegii* Primatum ipſum Petri, ejuſque præ ceteris prærogativam a *Bernardo* ſignificari, nemo in Eccleſiaſticis monumentis verſatus negabit. At privilegium hujuſmodi ſive prærogativam hoc quoque in loco collocat *Bernardus* in cura univerſali Petro & ſucceſſoribus ſpecialiter demandata.

Con-

(a) *Bernard.* ibid. pag. 187.

Conſtantiſſimum certe eſt apud omnes Theologos, verbis illis, *Paſce oves meas*, proprie tandem declaratum eſſe Petrum a Chriſto ſupremum & univerſalem Paſtorem omnium Chriſtianorum, atque adeo ſupra ipſos Apoſtolos Principem & caput conſtitutum. Ex Gallis unum producere ſufficiat *Almainum* in Tractatu *De Auctortiate Eccleſiæ & Concilii Generalis*, cap. VI. ubi ſic ait (a): *A Chriſto dictum eſt B. Petro*, Paſce oves meas, paſce agnos meos. *Joan. ultimo. Et in hoc conveniunt ſatis ſinguli Doctores, dicentes, Chriſtum tunc eum feciſſe ſuum Generalem Vicarium*. Ex Hiſpanis unum *Sotum*, qui in IV. Sentent. diſt. XX. q. I. Art. 2. concluſ. 4. ſic ait (b): *Id quod ait* Turrecremata, Petrum *Joan. ult. pleniſſimam poteſtatem in utroque foro recepiſſe, veriſſimum eſt*. Ex Italis unum *Bellarminum*, qui Libro I. De Romano Pontifice cap. XII. hæc habet (c): *Claves regni ut principalis & ordinarius Præfectus tunc ſolum accepit, cum audit*, Paſce oves mes. *Tunc enim etiam Apoſtolorum fratrum ſuorum cura ei commiſſa eſt*.

His poſitis conficitur jam manifeſte, ideam ſive notionem Primatus a me datam non ſolius *Bernardi*, ſed omnium fere Theologorum calculis comprobari; ac proinde nihil novi, nihil inauditi, nihil abſurdi in illa involvi.

Sed contendit Romanus Anonymus, non poſſe veram exiſtere illam Primatus ideam, qua admiſſa illud conſequens eſſe dicit (d), *ut officium atque adeo eſſentia Primatus communis ſit multis; ſi autem multis communis, in multos quoque ſupremos Primates diviſibilis*. Cumque pro numero Primatuum ſit numerus Eccleſiarum; *ſtante illa idea Primatus, quæ non in altero conſiſtat, quam in exequendis Canonibus, & ſervandis juribus ſingulorum; tot legitimæ Eccleſiæ erunt, quot ſupremi Inſpectores ſeu Superintendentes*.

Quis hic non videat fallaciam, ſeu potius calumniam manifeſtam? Ego officium ſive eſſentiam Primatus pono

(a) Tom. II. *Gerſon.* p. 987.
(b) *Sotus* pag. 548.
(c) *Bellarm.* Tom. I. p. 275.
(d) Anonym. p. 121. & 129.

qualis ſis. *Quid in natura*, *quis in perſona*, *qualis in moribus*. *Quid*, *verbi gratia*, *homo*: *quis*, PAPA VEL SUMMUS PONTIFEX: *qualis*, *benignus*, *manſuetus*, *vel quidquid tale*. In ſecunda igitur ex tribus memoratis conſiderationibus, ſpectatur a *Bernardo Eugenius*, ut Papa vel ſummus Pontifex. Atqui poſt abſolutam primam capite quarto & quinto, in qua *Eugenium* ut hominem definit *animal rationale mortale*; ad ſecundam mox tranſit *Bernardus* capite ſexto, in qua *Eugenium* ut Papam vel Summum Pontificem definit Petri ſucceſſorem in ſollicitudine omnium Eccleſiarum, prout ſupra audivimus. Ergo in hac univerſali ſollicitudine officium Papæ, quatenus eſt Petri ſucceſſor & in Eccleſia Primas, tamquam Primatus eſſentiam collocat *Bernardus*.

Rurſus capite 8. ſecundam hanc conſiderationem reſumens, ſeu ut ille ait, *altius indagans*, *quam perſonam in Eccleſia Dei gereret* Eugenius; Romani Pontificis a ceteris Epiſcopis differentiam & præ ceteris Epiſcopis excellentiam, atque adeo Primatum ipſum diſerte ponit *Bernardus* in ſollicitudine & cura univerſali omnium Chriſtianorum? Sic enim ſcribit (a): *Sunt quidem & alii Cæli janitores*, *& gregum paſtores*: *ſed tu tanto glorioſius*, *quanto & differentius utrumque præ ceteris nomen hereditaſti*. *Cui enim non dico Epiſcoporum*, *ſed & Apoſtolorum ſic abſolute & indiſtrete totæ commiſſæ ſunt oves?* Si Petre amas me, paſce oves meas. *Quas? Illius vel iſtius civitatis aut regionis*, *aut regni?* Oves meas, *inquit*: *Cui non planum non deſignaſſe aliquas*, *ſed aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur*, *ubi diſtinguitur nihil*. Et mox: STAT ERGO INCONCUSSUM PRIVILEGIUM TUUM TIBI *tam in datis clavibus*, *quam in ovibus commendatis*. Heic nomine *privilegii* Primatum ipſum Petri, ejuſque præ ceteris prærogativam a *Bernardo* ſignificari, nemo in Eccleſiaſticis monumentis verſatus negabit. At privilegium hujuſmodi ſive prærogativam hoc quoque in loco collocat *Bernardus* in cura univerſali Petro & ſucceſſoribus ſpecialiter demandata.

Con-

(a) *Bernard.* ibid. pag. 187.

Conſtantiſſimum certe eſt apud omnes Theologos, verbis illis, *Paſce oves meas*, proprie tandem declaratum eſſe Petrum a Chriſto ſupremum & univerſalem Paſtorem omnium Chriſtianorum, atque adeo ſupra ipſos Apoſtolos Principem & caput conſtitutum. Ex Gallis unum producere ſufficiat *Almainum* in Tractatu *De Auctoritate Eccleſiæ & Concilii Generalis*, cap. VI. ubi ſic ait (a): *A Chriſto dictum eſt B. Petro*, Paſce oves meas, paſce agnos meos. *Joan. ultimo. Et in hoc conveniunt ſatis ſinguli Doctores, dicentes, Chriſtum tunc eum feciſſe ſuum Generalem Vicarium*. Ex Hiſpanis unum *Sotum*, qui in IV. Sentent. diſt. XX. q. I. Art. 2. concluſ. 4. ſic ait (b): *Id quod ait* Turrecremata, *Petrum Joan. ult. pleniſſimam poteſtatem in utroque foro recepiſſe, veriſſimum eſt*. Ex Italis unum *Bellarminum*, qui Libro I. De Romano Pontifice cap. XII. hæc habet (c): *Claves regni ut principalis & ordinarius Præfectus tunc ſolum accepit, cum audit*, Paſce oves meas. *Tunc enim etiam Apoſtolorum fratrum ſuorum cura ei commiſſa eſt*.

His poſitis conficitur jam manifeſte, ideam ſive notionem Primatus a me datam non ſolius *Bernardi*, ſed omnium fere Theologorum calculis comprobari; ac proinde nihil novi, nihil inauditi, nihil abſurdi in illa involvi.

Sed contendit Romanus Anonymus, non poſſe veram exiſtere illam Primatus ideam, qua admiſſa illud conſequens eſſe dicit (d), *ut officium atque adeo eſſentia Primatus communis ſit multis; ſi autem multis communis, in multos quoque ſupremos Primates diviſibilis*. Cumque pro numero Primatuum ſit numerus Eccleſiarum; *ſtante illa idea Primatus, quæ non in altero conſiſtat, quam in exequendis Canonibus, & ſervandis juribus ſingulorum; tot legitimæ Eccleſiæ erunt, quot ſupremi Inſpectores ſeu Superintendentes*.

Quis hic non videat fallaciam, ſeu potius calumniam manifeſtam? Ego officium ſive eſſentiam Primatus pono

(a) Tom. II. *Gerſon.* p. 987. (c) *Bellarm.* Tom. I. p. 275.
(b) *Sotus* pag. 548. (d) Anonym. p. 121. & 129.

no in eo, quod Papa *ſollicitudinem habeat omnium Eccleſiarum*. Hanc ſollicitudinem omnium Eccleſiarum interpretor *ſupremam Inſpectionem Generalemque Superintendentiam, vi cujus ad Papam ſpectet toti Eccleſiæ invigilare*. Romanus Sophyſta a genere ad differentiam argumentans, Primatiam ipſam non a generalitate Inſpectionis ſive Superintendentiæ, ſed ab ipſa Inſpectione ſive Superintendentia deſumit. Quid hoc aliud eſt, niſi nugari in re ſeria?

Singuli Epiſcopi capita ſunt & centra unitatis in ſuis Diœceſibus. Singulis competit Eccleſiarum ſuarum ſollicitudo, inſpectio, ſuperintendentia. An propterea ſingulis Epiſcopis tribuitur, quod Epiſcoporum Principi eſt proprium? minime gentium.

Rurſus nonne ex *Almaino* & *Bellarmino* nuper audiſti, Petrum a Chriſto tunc fuiſſe Primatem Eccleſiæ & Apoſtolorum caput conſtitutum, cum ei Chriſtus dixit, *Paſce oves meas*? utique. Nonne item ab Auguſtino in ſuperioribus edoctus es, officium paſcendi etiam ad alios Apoſtolos pertinere? negare non potes. Ergone recte ex doctrina *Almaini* & *Bellarmini* argumentaberis, conſequens inde eſſe, ut tot in Eccleſia eſſe poſſint ſupremi Paſtores, quot Apoſtoli ſeu Epiſcopi?

Sed vim argumenti præſentiens reponis fortaſſe, verbis illis *Paſce oves meas*, ampliorem materiam amplioremque finem Primatui adſignari, quam ſuprema illa Inſpectione generalique Superintendentia, in qua ego Primatus rationem ſitam eſſe dixi. Verum ſi ita ſentis, verbis tu quidem ludis, non rebus pugnas. Quid enim eſt paſcere oves Chriſti, niſi providere & invigilare, *ut unuſquiſque munia & miniſteria gradus ſui perfecte obeat? ut Eccleſiæ Corpus illam diſpoſitionem harmoniamque conſervet, quam ipſum donarunt Chriſtus & Apoſtoli*? In his enim verſari dixeram ſupremam illam Inſpectionem, generalemque Superintendentiam.

An ampliorem aliquam materiam, amplioremve finem ſibi proponere debet ſupremus Eccleſiæ Paſtor, quam ut unuſquiſque munia & miniſteria gradus ſui perfecte obeat? & ut Eccleſia talis conſervetur, qualis

lis a Chriſto & Apoſtolis conſtituta eſt.

Non ampliorem certe ſibi proponendum duxit decantata illa tua Florentina Synodus, quæ poſtquam definiſſet, *Romanum Pontificem in toto orbe habere Primatum*; mox quaſi definitura, in quo Primatus iſte ſitus eſſet, ſubjunxit: *ipſique in B. Petro plenam poteſtatem traditam eſſe paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam, juxta eum modum qui & in geſtis Conciliorum Œcumenicorum, & in Sacris Canonibus continetur*. Quod quid aliud fuit, quam ſupremum in tota Eccleſia Inſpectorem, generalemque Superintendentem declarare Romanum Pontificem? idque eo fine, *ut Eccleſiæ Corpus eam diſpoſitionem harmoniamque conſervet, qua ipſum donarunt Chriſtus & Apoſtoli; ut cuilibet ſua jura ſerventur illæſa; ut liberum ſit cuilibet membro functiones Hierarchiæ ſuæ proprias exercere?* Hoc enim eſt, quod *& in geſtis Conciliorum Œcumenicorum, & in Sacris Canonibus continetur*.

Non ampliorem etiam ſibi proponendum duxit *S. Gregorius Magnus*, dum Libro IX. epiſt. 59. diſerte fatetur, ubi inferiores Antiſtites officio ſuo recte funguntur, nulliuſque proinde culpæ aut tranſgreſſionis rei ſunt; otioſum eſſe Primatus officium, pareſque quodammodo effici Antiſtites omnes. *Si qua culpa in Epiſcopis invenitur, neſcio quis Sedi Apoſtolicæ ſubjectus non ſit*. CUM VERO CULPA NON EXIGIT, OMNES SECUNDUM RATIONEM HUMILITATIS ÆQUALES SUNT. Quo *Gregorii* teſtimonio plane colligitur, officium Primatus, atque adeo ejus eſſentiam, in ſuprema illa Inſpectione generalique Superintendentia, quam adſerui, maxime conſiſtere.

Majorem fortaſſe vim ponere adverſus definitionem noſtram argutior aliquis Diſputator potuiſſet in eo, quod in ſuperioribus ex *Victoria*, *Soto*, *Bellarmino*, & *Marca* demonſtravimus, Apoſtolis omnibus & ſingulis totum orbem unam Diœceſim fuiſſe. Unde neceſſario conficitur, Apoſtolis omnibus ac ſingulis communem extitiſſe ſupremam illam Inſpectionem generalemque Superintendentiam per omnes Eccleſias. Quo illud ſpectat a *Paulo* dictum ad Corinthios: *Inſtantia mea*

quot

quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Et illud ejuſdem ad Epheſios: *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei*.

Verum enim vero tam certum eſt, ſingulos Apoſtolos fuiſſe Epiſcopos totius orbis: quam certum eſt, Petro præ aliis omnibus competiviſſe curam & ſollicitudinem Univerſalis Eccleſiæ. Singuli Apoſtoli fuerunt Epiſcopi totius orbis, quia ſingulis in commune dictum eſt Matth. XVIII. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo, &c.* Singulis in commune dictum eſt Matth. XXVIII. *Ite in mundum univerſum, prædicate, baptizate, docete*. Singulis in commune dictum eſt Joan. XX. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* Petro tamen præ aliis Apoſtolis competebat cura & ſollicitudo univerſalis Eccleſiæ; quia Petro ſpecialiter dictum fuit Matth. XVI. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & tibi dabo claves Regni Cælorum: quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis, &c.* Petro ſpecialiter dictum fuit Joan. XXI. *Paſce oves meas*.

Atque in duobus his quoad rei ſubſtantiam Theologi ad unum omnes conſentiunt, ſi *Paludanum* & *Turrecrematam* excipias; quorum ſententia eſt, *Chriſtum per ſe proprie non conſtituiſſe, niſi unum Curatum, ſeu unum Paſtorem, videlicet Petrum*. Sed illorum doctrinam, *Joanne Majore* teſte, hæreticam judicavit Academia Pariſienſis: ut abſurdam certe rejecit poſtea ipſe *Bellarminus*.

Tota lis eſt in modo explicandi illam differentiam ſeu prærogativam Petri præ aliis Apoſtolis. Scio quid de eo ſcribat *Victoria*, *Sotus*, *Bellarminus*, *Marca*, *Natalis Alexander*, *Turnelyus*, alii. Scio a pleriſque diſcrimen illud ſtatui, quod plenitudo ipſa & univerſalitas poteſtatis omnibus a Chriſto impertita, Petro quidem competebat, tamquam ordinario Paſtori; ceteris autem Apoſtolis, tamquam Paſtoribus extraordinariis: unde colligunt, plenitudinem ipſam & univerſalitatem ad ſolos Petri ſucceſſores divino jure fuiſſe tranſ-

tranſmiſſam perpetuo in Eccleſia duraturam : non tranſiſſe autem ad ſucceſſores Apoſtolorum , quia cum illis extincta eſt.

Qui ſic ratiocinantur , Evangelium non ex ipſo Evangelio antiquorumque Patrum traditione, ſed ex recentiorum Pontificum ſcriptis & geſtis interpretantur. Vident nimirum hi Theologi , Romanos Pontifices a ſæculo præſertim XI. omnia ad ſe trahere cœpiſſe. Vident a multis ſæculis non alios Epiſcopos Eccleſiis dari, niſi quos Romani Pontifices deſignent. Vident ubique locorum iis privilegiis a Romanis Pontificibus donari Religioſos Ordines, quibus Ordines ipſi a juriſdictione Ordinariorum Paſtorum eximantur. Vident criminum quorundam atrociorum abſolutionem ſibi reſervaſſe Romanos Pontifices. Vident pro minutiſſimis quibusque rebus ſollicitari Romanos Pontifices ab ipſis Epiſcopis. Vident denique, Eccleſiaſtica omnia ab unius Romani Epiſcopi nutu & arbitrio nunc dependere. Ex recenti hac novaque Diſciplina Evangelica teſtimonia interpretantes , alius alium ovium more ſequentes , docent fere omnes : fundum illum omnem ſpiritualium poteſtatum , quo ex æquo & indiſcriminatim locupletatos a Chriſto omnes Apoſtolos diſerte docet Evangelium ; diſerte clamant antiqui Patres ; extinctis Apoſtolis in ſolo Petri Succeſſore conſervari, tamquam in theſauro ſeu fonte , unde in Apoſtolorum ſucceſſores ad unius libitum & arbitrium diſtribuatur. Atque ita cum in principiis omnes Theologi diſſentiant a *Paludano* & *Turrecremata* ; ubi tamen ad rerum conſequentias devenitur, omnes cum *Paludano* & *Turrecremata* conveniunt , ne exceptis quidem Gallorum pleriſque.

Diſtinctio poteſtatis ordinariæ & extraordinariæ inter Apoſtolos jure divino , antiquis fuit plane ignota, ut ante me obſervarunt *Marca* ac *Dupinus*. Excepto Primatu omnes Apoſtoli ex æquo pares crediti : excepto Primatu omnes Epiſcopi Apoſtolorum in ſolidum ſucceſſores : excepto Primatu omnes unius ejuſdemque poteſtatis & juriſdictionis conſortes ex aſſe. Id in ſuis epiſtulis paſſim docent *Clemens Romanus*, *Ignatius*

Antio-

Antiochenus, *Cyprianus Carthaginenſis*, *Pacianus Barcinonenſis*, ceteri miro conſenſu.

Diſtinctio vero inter Apoſtolatum & Epiſcopatum, licet ab antiquis nonnumquam adhibita, nihil hic facit ad rem. Nam patrare miracula, fugare dæmones, Canonicos Libros ſcribere, teſtes oculatos eſſe tot divinarum rerum: eæ non juriſdictiones fuere, ſed gratiæ. Hic autem non quæritur, quibus donis ornati a Chriſto fuerint Apoſtoli, quando eis Chriſtus Marci III. 13. *dedit poteſtatem curandi infirmitates, & ejiciendi dæmonia*: ſed quali & quanta auctoritate ad regendam Eccleſiam eos munierit, quando eis dixit Matth. XVIII. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, &c.* Et Matth. XXVIII. *Ite in mundum univerſum, prædicate, baptizate, docete*. Et Joan. XX. *Ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, &c.* Ex ipſa autem verborum amplitudine & generalitate veteres Patres univerſe intellexere, talem ac tantam eam auctoritatem fuiſſe, ut nihil ei deeſſet, nihil ſub illa non comprehenderetur. Quam auctoritatem ſi quis putat Apoſtolis a Chriſto datam, ut cum Apoſtolis interiret: quid aliud reſtat, niſi ut cum Apoſtolis extinctum Epiſcopatum ipſum credamus, in uno Petri ſucceſſore revicturum? Quo nihil abſurdius, nihil antiquitati magis contrarium.

Dicamus ergo, poteſtatem a Chriſto inſtitutam & collatam, ordinariam fuiſſe & in Petro & in ceteris Apoſtolis: dicamus, ut Romanum Pontificem Petro, ita Epiſcopos Apoſtolis ſuccedere jure divino: dicamus in utriſque univerſalem fuiſſe ſuo modo juriſdictionem, tam univerſalitate locorum, quam rerum; dicamus ſuo modo utroſque fuiſſe Epiſcopos Œcumenicos. Hoc nempe cum diſcrimine, quod Petro & ſpecialius & generalius, quam ceteris Apoſtolis, commiſſæ ſunt oves. Specialius quidem: quia Petro ſpecialiter dictum eſt, *Paſce oves meas*: ceteris autem Apoſtolis in commune; *Ite, prædicate, baptizate, docete*. Generalius vero, quia Petro ſic generaliter omnes commiſſæ ſunt oves, ut divino jure nulla ovis a communione & obedientia Petri ſe poſſet ſubtrahere: ceteris autem Apo-

poſtolis ſic generaliter omnes oves ſunt commiſſæ, ut ſicut nulla ovis determinate huic vel illi Apoſtolo adſignabatur; ita nulla huic vel illi determinato Apoſtolo ſubeſſe teneretur jure divino. Itaque ex verbis illis, *Paſce oves meas*, ſatis intellexit Petrus, curam ipſi demandatam tantum patere, quantum univerſus orbis. Ex illis autem verbis, *Ite in mundum univerſum*, ſtatim intellexerunt ceteri Apoſtoli, tantum orbis ſibi commiſſum eſſe, quantum quiſque peragrare poſſet. Petro ergo omnes oves promiſcue & poſitive; ceteris Apoſtolis diſcrete & negative tantum omnes commiſſæ.

Ad hæc Petrus Paſtor erat ipſorum Apoſtolorum: ſinguli vero Apoſtoli nec inter ſe, nec reſpectu Petri Paſtores erant, ſaltem in foro exteriori.

Hinc colliges I. Petro præ reliqnis Apoſtolis ex duplici capite competere ſollicitudinem & curam totius Eccleſiæ. Primum quia promiſcue & poſitive cura omnium ovium Petro demandata eſt. Deinde quia ei ſub ovium nomine demandata eſt etiam cura aliorum Paſtorum. Facile enim adſentior *Maldonato*, verbis illis, *Paſce oves meas* idem omnino ſubjectum ſignificari, quod illis, *Paſce agnos meos*. Quamvis non me lateat, antiquis & recentioribus nonnullis per *oves* tantum ſubditos Paſtorum; per *agnos* intelligi ipſos Paſtores.

Colliges II. ceteris Apoſtolis eo ſenſu demandatam eſſe curam totius Eccleſiæ, quia eo ipſo quod nullus ei a Chriſto locus deſignatus eſt, ubique locorum poterant ſinguli Apoſtolorum Epiſcopalem auctoritatem exercere. Atque is ſenſus eſt, quo in ſuperioribus dixi, Apoſtolos jure divino fuiſſe Epiſcopos totius orbis: is item ſenſus eſt, quo ibidem adfirmavi, hanc etiam univerſalitatem fuiſſe in Apoſtolis ſuo modo ordinariam, adeoque ad ſucceſſores tranſmittendam, ſpectata præciſe forma inſtitutionis, & miſſionis divinæ; quæ ut nullos rerum, ita locorum nullos limites præ ſe ferebat: ſpectata item unitate Epiſcopatus, qui ut unus in ſingulis eſt, ita locorum multiplicitate non variatur.

Hinc Aſianos Epiſcopos adloquens *Paulus* Actor. xx. *Attendite vobis*, inquit, *& univerſo gregi*, *in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, *quam acquiſivit ſanguine ſuo*. Non dicit, *attendite huic gregi*, ſed *univerſo gregi*: non dicit, *regere Eccleſiam hanc*, ſed *regere Eccleſiam Dei*, quæ non Epheſi tantum, ſed ubique gentium erat.

Hinc etiam eſt, quod prioribus Eccleſiæ ſæculis multi Epiſcopi ſe gerebant ut Epiſcopi quodammodo Œcumenici, dum ubique locorum Epiſcopalia munia exercebant. Canone enim x. prioris Concilii Carthaginenſis ſub Grato ita legimus: *Felix Epiſcopus Bajanenſis dixit*: *Nullus debet Collega ſuo facere injuriam. Multi enim tranſcendunt ſua*, *& uſurpant aliena*, *ipſis invitis*. *Gratus Epiſcopus dixit*: *Proinde inhibendum eſt*, *ne quis alienos fines uſurpet*, *aut tranſcendat Epiſcopum Collegam ſuum*. Legimus etiam in ſecundo Canone Conſtantinopolitani Concilii primi: *Non vocati Epiſcopi ultra Diœceſim ne tranſeant ad ordinationem vel aliquam aliam adminiſtrationem Eccleſiarum*, *&c.*

Quod tempore horum Conciliorum reprehenſibiliter faciebant multi, ut extra Diœceſim ſibi adſignatam Epiſcopalia miniſteria exercerent: id per idem temporis laudabiliter faciebant *Athanaſius Alexandrinus* & *Euſebius Samoſatenſis*, quos conſtat ex Eccleſiaſtica Hiſtoria, extra Diœceſes ſuas ordinationes celebraſſe perſecutionibus hæreticorum ſævientibus. Porro neutri quidem feciſſent, quod illi reprehenſibiliter, hi laudabiliter fecerunt; niſi utrique pro certo habuiſſent, ſpectata Epiſcopatus divina inſtitutione, nullis locorum limitibus Epiſcopalem curam & auctoritatem circumſcribi. Hac perſuaſione ducti veteres illi Orientis Patriarchæ, ubi converſis ad fidem vicinis regionibus novi Epiſcopi opus erant, regionibus ipſis alioquin ad ſe non pertinentibus novos Epiſcopos dabant; qui ratione originis ſive fundationis ad vicinum Thronum pertinere deinde incipiebant. Hoc jure Alexandrino Exarcho ſuberat Æthiopia, Antiocheno India; Cæſarienſi in Cappadocia Major Armenia; Epheſino Cyclades Inſulæ, CPno *Regiones Barbaricæ*; quo nomine Canonibus CPnis

ſigni-

ſignificari Regiones extra Romani Imperii limites conſtitutas, conſentiunt adcuratiores critici. Recte propterea ſcribit *Dupinus* Diſſertatione II. §. I. *Omnibus Epiſcopis in ſolidum Eccleſiam eſſe commiſſam, qui proinde ſubvenire debent laboranti gregi, in quacumque tandem regione ſit, & cuilibet ejus parti.*

Dices: Si ex inſtitutione Chriſti ordinaria in Apoſtolis erat univerſalitas juriſdictionis, cur hæc univerſalitas non permanſit in Epiſcopis ſingulis? cur e contrario ſingulis ſuus grex, ſua Diœceſis adſignata? cur multati Canonibus, ſiqui in aliorum fines invaderent?

Hæc evincunt quidem, poteſtatem quoad omnia loca non ſic fuiſſe ordinariam, quemadmodum poteſtatem quoad res ipſas. Sed non evincunt tamen, non fuiſſe utramque poteſtatem ſuo modo ordinariam. Nam Apoſtoli videntes, non poſſe totum orbem a ſingulis peragrari, oportereque futuri regiminis formam aliquam ſucceſſoribus relinqui; orbem ipſum inter ſe diviſere, ſingulique ſingulas Provincias regendas ſuſcepere: retento interim jure, ut ubicumque neceſſitas poſtulaſſet, ibi Epiſcopalia miniſteria obire poſſent ſinguli. Sic Apoſtolorum Succeſſores, cum viderent, *meſſem quidem multam, operarios autem paucos*: totum orbem Chriſto jam debellatum & ſubditum ab Apoſtolis, non poſſe niſi a multis diviſim & per partes facile regi, & in unitate conſervari: orbem ipſum quotidie magis ac magis in diverſas quamplurimas Diœceſes ſive Parœcias ſunt partiti: reſervato tamen ſingulis Epiſcopis primævo jure, ut quoties urgeret neceſſitas, ſinguli quaſi ſibi proprias facere poſſent aliorum Diœceſes ſive Parœcias. Non licuiſſet autem vel Apoſtolis vel eorum ſucceſſoribus, hanc Eccleſiarum & gregum diviſionem facere; ſi divina lege & inſtitutione vel toti orbi, vel parti orbis adfixi eſſe deberent certi Epiſcopi. Adde quod ſin minus ſingulis ſeorſim, certe collectis in Synodum Epiſcopis hanc auctoritatem tribuit *Gerſon* in Libro *De Poteſtate Eccleſiaſtica*, conſid. XI. ut poſſint in quamcumque regionem Epiſcopos mittere. Quæ ratio Illuſtriſſimum *Marcam* movit, ut diceret in Diſſertatione *De Forma regiminis*

a Chriſto inſtituta, Num. 1x. poteſtatem qua ſinguli gaudebant Apoſtoli pro toto orbe, ad Succeſſorum collegium fuiſſe tranſmiſſam. Saltem igitur in hoc ſenſu ordinaria dici poteſt hæc univerſalitas poteſtatis in Apoſtolis.

Si cui tamen vel ſic nimia aut nova hæc videantur, dicat per me licet, poteſtatem Apoſtolis traditam ſolum fuiſſe ordinariam, adeoque ad Succeſſores tranſmittendam, quoad univerſalitatem rerum gerendarum. Quo in ſenſu, & ſuppoſita jam Dœceſium diviſione, notiſſima eſt & receptiſſima *Cypriani* ſententia: *Epiſcopatus unus eſt, cujus a ſingulis in ſolidum pars tenetur.* Et illa altera *Hieronymi*: *Ubicumque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Alexandriæ, ſive Tanis; ejuſdem meriti eſt, ejuſdem & Sacerdotii. Ceterum omnes Succeſſores Apoſtolorum ſunt.* Quæ ſi quis ad poteſtatem tantum ordinis referat, is quidem *Franciſco de Victoria* & *Petro Aurelio* judicibus graviter errat, & in Gloſſis Decreti magis, quam in veterum Patrum ſcriptis verſatum ſe oſtendit.

In eodem ſenſu eademque ſuppoſitione, Principium primum *Tentaminis Theologici* non ſic conſtitui ut dicerem: *Juriſdictionem Epiſcopalem in ſemet ſpectatam, hoc eſt, in ſua inſtitutione a Chriſto facta; juriſdictionem quandam eſſe abſolutam & illimitatam pro toto orbe*: Sed *abſolutam & illimitatam reſpectu ſingularum Diœceſium.* Qua admiſſa poſitione & explicatione, multo adhuc planius & expeditius conſtituitur Primatus eſſentia in ſollicitudine omnium Eccleſiarum, ſeu in ſuprema Inſpectione generalique Superintendentia in omnes & ſingulas Eccleſias.

Conſtituto autem, Primatus officium nihil aliud eſſe, *quam toti Eccleſiæ invigilare, ut munia & miniſteria gradus ſui perfecte obeat unuſquiſque; & ut Eccleſiæ Corpus illam diſpoſitionem harmoniamque conſervet, qua ipſum donarunt Chriſtus & Apoſtoli*: pariter conſequitur, officium Primatus *non eſſe ſibi proprias facere operationes ceterorum Epiſcoporum*, ut in eadem *Tentaminis* Dedicatione ſcripſi: ſed tantum dare operam, *ut unuſquiſque ſuo ſe contineat loco, parteſque omnes muneris ſui ſtre-*

ſtrenue exequatur ad præſcriptum juris Divini & Canonici. Hinc officio ſuo recte fungente quolibet Epiſcopo, nullam in illius Diœceſim juriſdictionem exercere poteſt Romanus Pontifex.

Gerſon in Epilogo Libri *De Poteſtate Eccleſiaſtica*, Concluſ. 11. (a) *Plenitudo poteſtatis Papalis non ſic intelligenda eſt immediate ſuper omnes Chriſtianos, quod pro libito poſſit immediate juriſdictionem in omnes per ſe vel per alios extraordinarios paſſim exercere; ſic enim præjudicaret Ordinariis*, QUI JUS HABENT IMMEDIATIUS, IMO IMMEDIATISSIMUM SUPER PLEBES EIS COMMISSAS ACTUS HIERARCHICHOS EXERCENDI. *Extenditur igitur plenitudo poteſtatis Papæ ſuper omnes inferiores*, SOLUM CUM SUBEST NECESSITAS EX DEFECTU ORDINARIORUM INFERIORUM, *vel dum apparet evidens utilitas Eccleſiæ, &c.*

Abbas *Fleurius* in Diſſertatione (b) *De Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ* ſæpius laudata: *Nos credimus Papæ principaliter demandatam eſſe inſtructionem & conductionem gregis, quia ei dictum eſt*, Paſce oves meas, paſce agnos meos. *Sed nos pariter credimus, omnes Epiſcopos a Chriſto immediate accepiſſe ſuam poteſtatem, quia ipſe omnibus Apoſtolis dixit*, Accipite Spiritum Sanctum . . . *Hinc cum quilibet Epiſcopus injunctum munus plene obit, nullum Papæ jus eſt poteſtatem aliquam exercendi in privatum gregem*. Et rurſus poſt alia (c): *Quod ad Diſciplinam ſpectat, credimus poteſtatem Papæ Canonibus moderandam, neque ſupremam illam eſſe, niſi quatenus pro obſervandis Canonibus ſummo jure gaudet Pontifex. Hinc Eccleſiaſticum regimen non eſſe imperium deſpoticum, ſed paternum & caritate fundatum; in quo auctoritas capitis ceſſat, ubi inferiores officio ſuo recte funguntur; emicat autem in reducendis rebellibus, & tuendis Canonibus*.

Scholiaſtes *Fleurii* (d): *Epiſcopatus unus eſt, cujus a ſingulis in ſolidum pars tenetur. In quo igitur conſiſtit Juriſdictio Papæ in Eccleſia? audi: in eo quod ipſe utpote*

 Prin-

(a) *Gerſon* Tom. 11. p. 256.
(b) *Fleur.* p. 422.
(c) Ibid. p. 442.
(d) Ibid. p. 439.

Princeps inter Epiſcopos, pluſquam alius quivis tenetur advigilare conſervando Fidei depoſito, obſervandis Canonibus pro tota Eccleſia, coercendiſque abuſibus.

CAPUT III.

An memorata Primatus notio, conſiſtens in ſuprema Inſpectione generalique Superintendentia pro continendis in officio Chriſtianis omnibus, pugnet cum fine ſchiſmatis evitandi, quem in alio loco adſerui.

NOn acquieſcit tamen ratiociniis meis acer & moroſus Diſputator. Contendebat ille hactenus, datam a me notionem Primatus eſſe falſam & abſurdam. Nunc etiam repugnantem dicit. Poſtquam enim in Dedicatione Operis eſſentiam Primatus collocavi in ſollicitudine omnium Eccleſiarum eo ſpectante, *ut munia ac miniſteria gradus ſui perfecte obeat unuſquiſque; ut Eccleſiæ Corpus eam diſpoſitionem harmoniamque conſervet, qua illud donarunt Chriſtus & Apoſtoli; ut cuilibet gradui ſua jura cuſtodiantur illæſa*. Poſtquam, inquam, hanc Primatus eſſentiam & finem ſtabilivi; continuo in eadem Dedicatione adfirmavi ex *Cypriano*, *Hieronymo* & *Auguſtino*; finem inſtituendi a Chriſto Primatus *non alium fuiſſe, quam ut vitatis diviſionibus unitas ſervaretur*.

Finem primo adſignatum falſum putat Anonymus Romanus propterea (a), quod Primatus ideam ibi colloco *non in continendis fidelibus ſub uno capite cohærentibus, ſed in tuendis juribus ſingulorum; non in retinendis intra ovile ovibus, ſed in conſervandis intra ovile quietis; non in reddenda Eccleſia una, ſed in reddenda Eccleſia pacifica; non in tollendis ſchiſmatibus, ſed in tollendis doloribus*. Finem ſecundo deſcriptum verum eſſe Anonymus fatetur: ſed contendit pugnare cum primo, atque adeo Primatus ideam a me datam eſſe ſimul veram & falſam. *Quod*, inquit, *videtur incredibile; ſed* ex-

(a) Anonym. p. 114. & ſeqq.

ex ipſiſmet verbis Patris Pereriæ *demonſtratur*.

Sed ponamus integram argumentationem Anonymi. *Conſentiunt univerſi Patres*, (*inquit* Pater Pereria) *Primatus finem alium non fuiſſe, quam ut vitatis diviſionibus unitas ſervaretur. Ergo verum non eſt, quod finis & officium principale, unde eſſentiam ſuam Primatus deſumit, ſit id, quod ſupra tamquam ex* S. Bernardo *probabatur: nempe toti Eccleſiæ invigilare, ut munia & miniſteria gradus ſui perfecte obeat unuſquiſque, & cuilibet gradui ſua jura cuſtodiantur illæſa. Non poteſt id eſſe Primatus finis & officium: quandoquidem conſentiunt univerſi Patres, Primatus inſtituendi finem alium non fuiſſe, quam ut vitatis diviſionibus unitas ſervaretur.* Argute quidem & decretorie. En igitur falſitas, en pugna doctrinæ a me traditæ.

Sed tentemus tamen, an via aut ratione aliqua nos expediamus a laqueo. Quod ut feliciter cedat, integram quoque poſitionem meam repeti neceſſe eſt. Sic autem ſe habet: *Planum ergo eſt, ſupremam illam Inſpectionem ac Superintendentiam, in qua* S. Bernardus *eſſentiam Primatus collocat, nihil aliud eſſe, quam inter Antiſtites omnes ſic Romanum Pontificem eminere, ut caput primumque Præſidem Epiſcoporum: ad quem proinde ſpectet ex Primatus officio toti Eccleſiæ invigilare eo fine, ut munia ac miniſteria gradus ſui perfecte obeat unuſquiſque: hoc eſt, ut Eccleſiæ Corpus illam diſpoſitionem harmoniamque conſervet, qua ipſum donarunt Chriſtus & Apoſtoli: ut cuilibet gradui ſua jura cuſtodiantur illæſa: ut liberum ſit cuilibet membro functiones Hierarchiæ ſuæ proprias exercere.*

Confirmatur egregie hæc Primatus notio, ubi animum adverterimus, quo illum fine inſtituerit Chriſtus. Conſentiunt univerſi Patres, finem alium non fuiſſe, quam ut vitatis diviſionibus unitas ſervaretur. Sanctus Cyprianus *in Libro De Unitate Eccleſiæ, &c.* Sanctus Hieronymus *in Libro* 1. *contra* Jovinianum, &c. Sanctus Auguſtinus *in Tractatu* LXVIII. *in* Joannem, &c.

Quis niſi cæcus non videat, in priori illo fine poſteriorem hunc, tamquam ſpeciem in genere contineri? Prior finis eſt, *ut munia ac miniſteria gradus ſui per-*

perfecte obeat unuſquiſque: hoc eſt, ut Eccleſiæ Corpus illam diſpoſitionem harmoniamque conſervet, qua ipſum donarunt Chriſtus & Apoſtoli. Quis autem neſciat, omnium munerum ac miniſteriorum Eccleſiaſticorum primum & præcipuum eſſe, Romanum Pontificem tamquam viſibile Eccleſiæ caput colere & revereri? Quis neſciat, conſervari Eccleſiæ Corpus in illa diſpoſitione & harmonia, qua ipſum donarunt Chriſtus & Apoſtoli; nihil aliud eſſe, quam ſubordinari cetera membra capiti & cum ceteris membris caput ipſum cohærere? Jam ergo habemus, priori illo fine poſteriorem non excludi: imò unum eundemque finem duplici loco, verbiſque diverſis ſignificari. Sed fraudulentus Diſputator media illa periodo omiſſa, *hoc eſt, ut Eccleſiæ Corpus illam diſpoſitionem harmoniamque conſervet*; & ſequenti tantummodo memorata, *ut cuilibet gradui ſua jura cuſtodiantur illæſa*; Lectoribus perſuadere conatur, Primatus finem alium a me non adſignari, quam ut aliorum jura non violentur.

Neque tamen quia aliud eſt oves intra ovile retineri, aliud quietas intra ovile conſervari: vel quia aliud eſt unam reddi Eccleſiam, aliud pacificam Eccleſiam reddi: conſequens fit, male a me inter Primatus finem collocari, *ut cuilibet gradui ſua jura cuſtodiantur illæſa, utque liberum ſit cuilibet membro functiones Hierarchiæ ſuæ proprias exercere*. Namque quod inſtituitur ad evitandum ſchiſma, conſequenter inſtituitur ad evitandum omne id, ex quo poſſit ſchiſma conflari. Quis autem negare auſit, nulla re magis ad ſcindendam unitatem accendi & ſtimulari homines, quam ubi juribus ſuis & antiquis libertatibus ſpoliari ſe vident a Romano Pontifice? Teſtis antiqua Græcia, teſtis Anglia, teſtis Germania, teſtes tot alii Septentrionales & Orientales populi; quos ex ipſis Hiſtoriis conſtat abuſu & impotentia aliquorum Pontificum laceſſitos, ſeſe ab Apoſtolica & Romana communione avulſiſſe.

Atque hinc forte eſt, quod Hieronymus, ubi de fine Primatus agit, non dicit, *ut capite conſtituto ſchiſma tolleretur*: ſed *ut capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio*. Quo & illud reſpexit ejuſdem Hieronymi alio in

in loco: *Eccleſiæ ſalus in ſummi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exſors quædam & omnibus eminens datur poteſtas, tot in Eccleſia ſchiſmata erunt, quot Sacerdotes.* Et illud *Cypriani: Neque enim aliunde hæreſes & ſchiſmata orta ſunt, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur.* Utrumque Romanus Anonymus diverſis in locis pro ſe laudat, quaſi de ſolo Romano Pontifice intelligendum. Sed non magis ad Romanum, quam ad ceteros Epiſcopos pertinere quod Hieronymus & *Cyprianus* ſcribunt, de primo obſervavit *Thomaſſinus*, de ſecundo *Boſſuetus*.

Quinimo ſi rem paullo adcuratius conſideremus cum *Launojo* Libro I. epiſt. VIII. ad *Ludovicum Cuſinum*: inveniemus profecto, verum & proprium ſchiſma non minus eſſe, quando cetera membra a capite ſe ſeparant, capitis auctoritatem vel adrogando vel detrectando; quam cum caput ipſum a ceteris membris ſe ſejungit, membra ipſa a locis ſuis extrudendo, omniaque illorum officia ad ſe trahendo. Jam enim ſupra vidimus ex *Cajetano* & *Valentia*, Papam fieri poſſe ſchiſmaticum, ſi a toto Eccleſiæ Corpore diſſentiat in rebus maximi momenti. At nihil majoris momenti eſt, quam ut in Eccleſiæ Corpore ſingula membra ſuo ſe contineant loco, nec unum alterius locum invadat. Neque enim Eccleſiæ unitas minus labefactatur detractione capitis, quam confuſione membrorum. Hinc *Joannes* Papa VIII. in epiſtula ad Imperatores: *Totius familiæ Domini ſtatus & ordo mutabit, ſi quod requiritur in corpore, non ſit in capite: & inde fiet, ut omnis Eccleſiaſtica diſciplina reſolvatur, omnis ordo turbetur.* Hinc *Joannes* Papa XVIII. in reſponſione ad quendam Galliæ Epiſcopum: *Profiteor omnibus conſacerdotibus meis ubique terrarum adjutorem me, & conſolatorem potius eſſe, quam contradictorem.* Absit enim schisma a me, et a Coepiscopis meis.

Sed verbis inſidiari nondum ceſſat captioſus Diſputator, volens *me capere in ſermone*, ut Phariſæi olim Chriſtum. Adfirmat enim, pugnare iterum cum ſecundo illo loco tertium alterum, qui in eadem Dedicatione occurrit, & quem ille talem deſcribit: *Hæc*

Primatus notio inde præterea fit illuſtrior, quod non in altero magis virtutem poteſtatis ſuæ, majeſtatemque tanti characteris oſtentabant antiqui Pontifices, quam in exequendis Canonibus & conſervandis ſingulorum juribus. Ex quo ita colligit: *Is ergo unicus finis eſt, quoniam non* IN ALTERO *Primatus reponitur.*

Sed primo illud NON IN ALTERO, quod majuſculis litteris notari voluiſti, non meum eſt, ſed tuum. Nam verba mea hæc ſunt: *Confirmatur præterea hæc Primatus notio ex eo, quod in exequendis Canonibus & conſervandis juribus ſingulorum, vim & amplitudinem characteris ſui maxime oſtentabant antiqui Pontifices.* Nec Venetus interpres ſimpliciter habet *non in altro*, ſed *non in altro più*: quaſi Latine dixerim, *non in altero magis*. Denique cum Canones univerſi eo tendant, ut Eccleſia *Illam diſpoſitionem harmoniamque conſervet, qua ipſam donarunt Chriſtus & Apoſtoli*; hæc autem diſpoſitio & harmonia non aliter conſervari poſſit in Eccleſia, *niſi ſi munia ac miniſteria gradus ſui perfecta obeat unuſquiſque*: planum redditur, *exequendis Canonibus & conſervandis ſingulorum juribus* contineri, quidquid ad conſervandam unitatem & tollenda ſchiſmata opus eſt. Quare *plenam illam poteſtatem paſcendi, regendi, & gubernandi Eccleſiam Univerſalem*, in qua Primatum Romani Pontificis collocavit Synodus Florentina; *geſtis Conciliorum Œcumenicorum & Sacris Canonibus* circumſcripſit eadem Synodus. Et magnus *Boſſuetus* ad calcem Sermonis *De Unitate Eccleſiæ* de Apoſtolica Sede verba faciens ſic exclamat (a): *Quanta ejus auctoritas fuit, poſtquam illa majeſtatem ſuam in eo maxime fecit conſiſtere, ut Canonum auctoritati ſubmitteret omnem creaturam!*

CA-

(a) Tom. II. Opuſcul. pag. 470.

CAPUT IV.

Secundum caput Romanæ cenſuræ diſſolvitur, quod in eo ſitum eſt, quod ex verbis Evangelicis Matth. XXVIII. 18. *Et* Joann. XX. 21. *collegi, Juriſdictionem Epiſcoporum in ſemet ſpectatam, hoc eſt, in ſua inſtitutione a Chriſto facta, præſciſſiſque lege, vel conſuetudine, vel reſervatione in contrarium; Juriſdictionem quandam eſſe abſolutam & illimitatam reſpectu ſingularum Diœceſium.*

De Diviſione Diœceſium rurſus agitur. Ea non divino ſed Eccleſiaſtico, atque adeo humano jure inſtituta demonſtratur.

Quomodo ab Eccleſia certis regulis coerceri & reſtringi potuerit divina auctoritas Epiſcoporum.

Olim magni momenti nihil in Eccleſia ſtatuebatur, niſi adhibita Epiſcoporum Synodo, communique deliberatione. Ex Zabarella, Marca, *&* Holſtenio.

Cenſura Facultatis Pariſienſis adverſus Vernantium *a* Boſſueto *laudata.*

Romano Pontifici ex vi Primatus non major auctoritas in Coepiſcopos, quam Petro in Coapoſtolos.

Gerſonis *locus explicatur.*

Parochi Epiſcopis magis obnoxii ſunt, quam Epiſcopi Summo Pontifici. Ex Clero Gallicano & Toſtato *Abulenſi Epiſcopo.*

Præter Apoſtolos, nullus alius perſonaliter clavium poteſtatem a Chriſto immediate accepit. Ex Ratramno, Victoria, *&* Thomaſſino.

Quomodo hoc conciliari poſſit cum doctrina Pariſienſium. Ex Petro Aurelio.

SUmma argumentorum Anonymi hæc eſt: ſi ex illis locis Evangelicis, Matth. XXVIII. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo & in terra. Euntes ergo docete, &c.* Et Joan. XXI. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiſeritis peccata, &c.* Si ex illis locis Evangelicis conficitur, ut confici vult Auctor *Tentaminis Theologici*, *Juriſdictionem Epiſcoporum in ſemet ſpectatam, hoc eſt, in* in-

inſtitutione a Chriſto facta, præſciſſiſque lege, vel conſuetudine, vel reſervatione in contrarium; Juriſdictionem quandam eſſe abſolutam & illimitatam, reſpectu ſingularum Diœceſium: ſequitur primo, ſolo humano jure Epiſcopis præeminere Romanum Pontificem: cumque divino juri cedere debeat jus humanum; poſſe etiam ſingulos Epiſcopos, rejecta ſuperioritate Papæ, conſtituere ſeſe Primates ſupremos & nulli obnoxios in qualibet Diœceſi.

Cum autem verba illa Chriſti ex *Mattheo* & *Joanne* deſcripta, non ſolis Apoſtolis, quibus ſucceſſere Epiſcopi; ſed etiam Diſcipulis; quorum locum Parochi obtinent, dicta fuerint: ſequitur ſecundo, Parochis ſimiliter jus ineſſe, ut excuſſa Epiſcoporum ſuorum potiori auctoritate, ſinguli ſeſe in qualibet Parœcia Epiſcopis ipſis nulla in re inferiores, ſed omnino pares atque adeo abſolutos quoque & independentes oſtentent.

Ludibria hæc verborum ſunt, & terriculamenta puerorum; a quibus proinde refutandis omnino abſtinerem, niſi timor eſſet, ne ſpectris hujuſmodi moverentur meticuloſæ & imbecilles animæ. Ac de Apoſtolis quidem reſpectu Petri negare non poteſt Romanus Cenſor, illorum univerſalem, abſolutam, & nullis vel locorùm vel rerum limitibus circumſcriptam poteſtatem, ex illiſmet Evangelii teſtimoniis agnoſci & celebrari paſſim ab antiquis Patribus graviſſimiſque Theologis. Id in priori Diſſertatione cap. III. vidimus ex *Cypriano*, *Chryſoſtomo*, *Cyrillo*, *Cuſano*, *Victoria*, *Soto*, *Bellarmino*, *Marca* & aliis: quibus propterea religio non fuit *Apoſtolos omnes Petro æquales* dicere, ſalva & illæſa prærogativa Primatus. Unum hic *Victoriam* rurſus audire ſufficiat e Relectione II. *de Poteſtate Eccleſiaſtica*, Numer. 10. (a): *Pro ſententia quam veriorem puto, pono concluſionem. Apoſtoli omnes habuerunt æqualem poteſtatem cum Petro: quam ſic intelligo, quod quilibet Apoſtolorum habuit poteſtatem Eccleſiaſti-*

(a) *Victor.* pag. 85.

ſlicam in toto orbe , & ad omnes actus ad quos Petrus habuit, &c. Hæc probatur quoad primam partem ex loco jam citato Matth. ult. Euntes in mundum univerſum, &c. *Et ſine exceptione* : Quæcumque ſolveritis , &c. *Matth.* 18. Et quorum remiſeritis peccata , &c. Sicut miſit me Pater , &c. *Joann.* 20. *Chriſtus autem miſſus fuerat in totum orbem : ergo & in totum orbem ipſe miſit Apoſtolos , &c.*

Si ergo tot tantorumque Theologorum judicio, pleniſſimam & univerſalem pro toto orbe poteſtatem habere potuerunt , & revera habuerunt Apoſtoli , ſalva prærogativa Petri : cur Petri Succeſſorum Primatu ſalvo, abſolutam & illimitatam reſpectu ſingularum Diœceſium poteſtatem habere non poterunt Epiſcopi ?

Ampliſſima hac , univerſali , & illimitata pro toto orbe poteſtate donati a Chriſto Apoſtoli ; nihilominus orbem ipſum de communi conſilio partiti ſunt inter ſe . Id in eadem Diſſertatione pariter audiamus a *Dominico Soto* , cujus locum illum citavimus e IV. Sentent. diſt. XX. q. I. art. II. concluſ. IV. (a) : *Cum utraque pleniſſima juriſdictio de eſſentia ſit Apoſtolici muneris, utramque a Chriſto omnes immediate ſuſceperunt , atque adeo unuſquiſque erat per Chriſtum Epiſcopus univerſi orbis , quem ideo inter ſe partiti ſunt , ut unuſquiſque ad ſuam plagam diverteret .*

En igitur in Apoſtolis juriſdictio in omnem locum atque ad omnes actus , proindeque ſuprema & abſoluta , illæſo tamen Primatu Petri . En item in Apoſtolis juriſdictio divina inſtitutione univerſalis , atque adeo illimitata pro toto orbe ; quam tamen Apoſtoli ipſi de communi conſenſu ad certas Provincias reſtrictam inter ſe partiti ſunt . Quod igitur divino jure inviolato facere potuit Collegium Apoſtolicum , per ordinem ad univerſalitatem locorum ; facere potuit Corpus Succeſſorum qui ſunt Epiſcopi , per ordinem ad univerſalitatem tam locorum quam rerum .

Hinc in eodem capite III. prioris Diſſertationis audi-

(a) *Sotus pag.* 548.

ſticam in toto orbe , & ad omnes actus ad quos Petrus habuit, &c. Hæc probatur quoad primam partem ex loco jam citato Matth. ult. Euntes in mundum univerſum, &c. *Et ſine exceptione* : Quæcumque ſolveritis , &c. *Matth.* 18. Et quorum remiſeritis peccata , &c. Sicut miſit me Pater , &c. *Joann.* 20. *Chriſtus autem miſſus fuerat in totum orbem : ergo & in totum orbem ipſe miſit Apoſtolos , &c.*

Si ergo tot tantorumque Theologorum judicio, pleniſſimam & univerſalem pro toto orbe poteſtatem habere potuerunt , & revera habuerunt Apoſtoli , ſalva prærogativa Petri : cur Petri Succeſſorum Primatu ſalvo, abſolutam & illimitatam reſpectu ſingularum Diœceſium poteſtatem habere non poterunt Epiſcopi ?

Ampliſſima hac , univerſali , & illimitata pro toto orbe poteſtate donati a Chriſto Apoſtoli ; nihilominus orbem ipſum de communi conſilio partiti ſunt inter ſe . Id in eadem Diſſertatione pariter audiamus a' *Dominico Soto* , cujus locum illum citavimus e IV. Sentent. diſt. XX. q. I. art. II. concluſ. IV. (a): *Cum utraque pleniſſima juriſdictio de eſſentia ſit Apoſtolici muneris, utramque a Chriſto omnes immediate ſuſceperunt , atque adeo unuſquiſque erat per Chriſtum Epiſcopus univerſi orbis , quem ideo inter ſe partiti ſunt , ut unuſquiſque ad ſuam plagam diverteret .*

En igitur in Apoſtolis juriſdictio in omnem locum atque ad omnes actus , proindeque ſuprema & abſoluta , illæſo tamen Primatu Petri . En item in Apoſtolis juriſdictio divina inſtitutione univerſalis , atque adeo illimitata pro toto orbe ; quam tamen Apoſtoli ipſi de communi conſenſu ad certas Provincias reſtrictam inter ſe partiti ſunt . Quod igitur divino jure inviolato facere potuit Collegium Apoſtolicum , per ordinem ad univerſalitatem locorum ; facere potuit Corpus Succeſſorum qui ſunt Epiſcopi , per ordinem ad univerſalitatem tam locorum quam rerum .

Hinc in eodem capite III. prioris Diſſertationis audi-

(a) *Sotus* pag. 548.

divimus a *Durando*, *Cuſano*, *Almaino*, *Caſtrio*, *Boſſueto*, & Pariſienſi Facultate: diviſionem & diſtinctionem Diœceſium non divini, ſed humani juris inſtitutionem eſſe. Atque id ipſum poſt editum *Tentamen Theologicum* ejuſque *Appendicem*, tamquam indubitatum quid & vulgo notum obſervavit noviſſimus Parmenſis Ducis Defenſor Hiſpanus in Libro jam alibi memorato, Sectione 1. Num 37. Quid igitur novi in mea doctrina? Quid commune cum hæreticis? imo quid non commune cum Catholicis?

Nam quod Eccleſiaſticis atque adeo humanis legibus reſtringi quoad certa loca, certaſque res poſſit auctoritas in divina inſtitutione ſua nullis circumſcripta limitibus: id non majorem difficultatem præ ſe fert in poteſtate pro foro externo, quam in poteſtate pro foro interno. Utraque enim divinæ inſtitutionis eſt: utraque a Chriſto immediate hauſta. Et tamen in priori Diſſertatione jam audivimus a *Durando* in IV. Sent. diſt. 19. quæſt. 2. *Quod loquendo abſolute de Sacramento Pœnitentiæ, circumſcribendo omnem ordinationem Eccleſiæ, quilibet Sacerdos poteſt quemlibet peccatorem abſolvere de quolibet peccato: & quod per ordinationem Eccleſiæ factum eſt, quod non quilibet poſſit quemlibet abſolvere, nec de quolibet peccato*. Audivimus ab *Almaino*, hanc doctrinam communiter tradi a Theologis.

Rurſus non majorem difficultatem præ ſe fert in Epiſcopatu, quam in Papatu: uterque enim Chriſtum pariter habet auctorem. Atqui plenitudinem ipſam Papalis poteſtatis Canonibus ac Decretis Conciliorum Generalium coerceri poſſe, definivit Œcumenica Synodus Conſtantienſis: idque ad mentem & ſenſum Conſtanſienſium Patrum paſſim docent Theologi Pariſienſes, & ſolemni Declaratione ſua ratum fixumque habuit totus Clerus Gallicanus anno MDCLXXXII.

Jam ſi quis quærat, qui fieri poſſit, ut poteſtas quam Chriſtus inſtituit abſolutam & illimitatam reſtringi nihilominus & coarctari ad certa loca, certoſque caſus valeat: reſpondebunt omnes id ideo eſſe, quia Chriſtus Eccleſiæ ſuæ eam auctoritatem conceſſit, ut poſſet ipſa uſum atque exercitium poteſtatis divini-

tus

tus inſtitutæ divinituſque Apoſtolis & Succeſſoribus collatæ, certis regulis moderari, certiſque limitibus coercere, ſalva interim natura & ſubſtantia ipſius poteſtatis. Sic licet Petrus ut Apoſtolus, totius orbis Epiſcopus eſſet, quemadmodum ceteri Apoſtoli: tamen ubi id Eccleſiæ neceſſitas aut utilitas poſtulavit, *Petrum & Joannem in Samariam miſerunt Apoſtoli*, ut Actor. VIII. legimus.

Hinc cum *Jacobus Vernantius* Libro Metis excuſo anno MDCLVIII. docuiſſet, *Papam ſolo Deo ſubjici, nec niſi divina poteſtate Papalem poſſe reſtringi poteſtatem, eique nullis legibus modum poni:* Facultas Theologica Pariſienſis anno MDCLXV., ſic cenſuit: *Hæc propoſitio intellecta de uſu & exercitio poteſtatis Papalis falſa eſt, Eccleſiæ & Conciliorum auctoritati derogans*. Qua cenſura deſcripta hæc addit Illuſtriſſimus *Boſſuetus* Libro X. cap. XXVII. (a). *Diligentiſſime omnino, atque ex Majorum non modo Decretis, ſed etiam verbis, Papalem poteſtatem utpote divinitus inſtitutam Deo ſoli quoad ſe, quoad uſum & exercitium Sacris Canonibus Conciliiſque ſubjiciunt.* En ergo magno *Boſſueto* judice, præeunteque tota Pariſienſi Facultate, certis regulis ſive Canonibus reſtringi ab Eccleſia poteſt ipſa plenitudo Papalis poteſtatis, cui nullos limites præſcripſit Chriſtus, cum Petro dixit, *Paſce oves meas*.

Jam ſi Eccleſiæ tanta auctoritas eſt in Papatum, quantam, quæſo, eſſe putabimus in Epiſcopatum? Apoſtolorum exemplo mota, Epiſcopalium functionum exercitium & uſum certis locis, quæ Diœceſes dicuntur, adfixit & adligavit Eccleſia, cum in Synodo Nicæna I. Can. VI. ita decrevit: *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Pentapolim, & Lybiam; ut Alexandrinus Epiſcopus horum habeat adminiſtrationem, quoniam & Romano Epiſcopo parilis mos eſt. Similiter apud Antiochiam, &c.* Et in Synodo I. CPna Canone II. *Juxta Canones Alexandrinus Antiſtes quæ ſunt in Ægypto regat ſolummodo: & Orientis Epiſcopi Orientem tantum guber-*

(a) *Boſſuet.* Tom. II. pag. 115.

gubernant, *&c.* En ergo Eccleſiæ auctoritate, atque adeo humano jure determinatis Diœceſibus reſtrictum Epiſcopatum, cui in ſua inſtitutione a Chriſto facta nulli fuerant deſignati limites; & qui in certas Diœceſes diviſus, ſuam nihilominus ſubſtantiam & naturam ſic integram & illibatam conſervat in ſingulis Epiſcopis, quemadmodum conſervaturus erat, ſi totum orbem pro Diœceſi ſinguli haberent, ut olim Apoſtoli. Nam ut ex *Cypriano* tritum eſt, *Epiſcopatus unus eſt, cujus a ſingulis in ſolidum pars tenetur*.

Similiter Apoſtolorum exemplo mota, Presbyterorum ordinem ſic Epiſcopatui ſubditum & obnoxium voluit Eccleſia, ut in Sacramentorum adminiſtratione ab Epiſcoporum nutu & arbitrio penitus dependerent Presbyteri. Sic enim legimus in antiquo Codice Canonum, cap. 40. *Presbyteri & Diaconi abſque ſententia & voluntate Epiſcopi nihil peragant*. Et apud *Hieronymum* in Dialogo adverſus Luciferianos: *Inde venit, ut ſine chriſmate, & ſine Epiſcopi juſſione neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant baptizandi*. En ergo rurſus Eccleſiæ auctoritate certis regulis coercitum Presbyteratum, quem nullis regulis ſubmiſerat Chriſtus, cum Presbyteratum ipſum inſtituit.

Denique cum per multa ſæcula Epiſcopalem auctoritatem tantam exercuiſſent Epiſcopi, quantam Chriſtus Apoſtolis contulerat, cum omnibus & ſingulis dixit: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: Ite, prædicate, baptizate, docete: Quæcumque alligaveritis, &c.* tractu temporum de communi omnium conſilio, totiuſque Eccleſiæ conſenſu, portiones quaſdam Epiſcopalis adminiſtrationis ſibi cum Romano Epiſcopo communes, ad Eccleſiæ utilitatem Romano Epiſcopo reſervarunt certi Coepiſcopi. Atque hinc ortum habuit peccatorum & diſpenſationum reſervatio; quam ſiquis ab unius Romani Pontificis voluntate & arbitrio originem duxiſſe contendat; profecto illum in ſumma Eccleſiaſticorum monumentorum ignoratione verſari oportet.

Scitiſſimum enim illud eſt, quod in Libro *de Schiſmatibus* ante annos tercentos ſcribebat Cardinalis *Zaberel-*

berella: *Mos antiquus habuit, quod omnia negotia difficilia terminabantur per Concilia, & crebro fiebant*. Scitiſſimum illud *Petri de Marca* Libro I. *de Concordia*, cap. 9. *Olim una cum Synodorum tractatu negotia univerſalis Eccleſiæ procurabant Summi Pontifices*. Scitiſſimum quod in Notis ad Synodum Romanam ſub Bonifacio II. obſervat *Holſtenius*: *Vel leviter in Eccleſiaſtica Hiſtoria verſati ſciunt, moris fuiſſe antiqui, ut quoties de gravioris momenti negotio ad Apoſtolicam ceteraſque majores Sedes referretur, non ſolum Clerus Urbicus, ſed etiam Epiſcopi in Comitatu commorantes ad conſilium commune deliberationemque convocarentur*.

Hinc ſæculo IV. coercita quidem & reſtricta quodammodo fuit auctoritas Synodorum Provincialium circa Judicia de accuſatis Epiſcopis: ſed coercita & reſtricta a Concilio Sardicenſi, ubi Romano Pontifici ſeu ejus Commiſſariis conceſſa eſt reviſio cauſæ. Sæculo item V. ſicut ampliata Diœceſi Jeroſolymitana, ita coarctata fuit Diœceſis Antiochena, ex qua in gratiam Jeroſolymitani Epiſcopi avulſa eſt Arabia & Palæſtina, quæ antehac Antiocheno Throno parebant. Sed illa ampliata, hæc coarctata fuit in Concilio Chalcedonenſi. Ubi item CPno Epiſcopo adſignatæ pro Diœceſi ſunt Aſia minor, & Pontica Regio, quia CPno Throno ſe ſponte ſubmittere voluerunt duo Exarchi, Epheſinus & Cæſarienſis. Sic ſæculo XIII. Epiſcopis quidem reſtricta eſt poteſtas Indulgentiarum impartiendarum: ſed reſtricta a Concilio Lateranenſi IV. unde deſumptum eſt caput *Ex eo*, *de Pœnitentiis & Remiſſionibus*.

En ergo, quomodo Eccleſiæ auctoritate factum eſt, ut non ſolum certis Diœceſibus circumſcripta, verum etiam certis rerum ſive functionum limitibus coercita fuerit poteſtas a Chriſto Epiſcopatui adnexa.

Jam quod timebat Anonymus, ne ſi Epiſcopalis poteſtas in ſua inſtitutione abſoluta eſſet atque illimitata, Romani Pontificis excellentia præ ceteris Epiſcopis peſſundaretur, fundamentumque Catholicæ unitatis ſubrueretur: id non magis me urget, quam *Durandum*, qui cum in IV. Sent. diſt. XIX. quæſt. 2. docuiſſet, ver-

bis illis, *Quorum remiſeritis peccata*, dari omnibus Apoſtolis & Succeſſoribus poteſtatem abſolutam & illimitatam, cum reſpectu rerum, tum reſpectu locorum; fatetur nihilominus, poteſtate clavium donatum a Chriſto Petrum cum *quadam prærogativa*. Non magis me urget, quam *Victoriam*, qui cum in Relectione II. *de Poteſtate Eccleſiæ* Num. 10. hanc concluſionem poſuiſſet, *Apoſtoli omnes habuerunt æqualem poteſtatem cum Petro; hoc eſt, in toto orbe, & ad omnes actus, ad quos habuit Petrus*: non putavit tamen pugnare concluſionem illam cum Primatu Petri. Non magis me urget, quam *Bellarminum*, qui in Libro IV. *de Romano Pontifice* cap. 23. diſerte adfirmat, *idem dari Apoſtolis per illa verba*, Ego mitto vos, *quod Petro fuerat promiſſum per illud*, Tibi dabo claves, *& poſtea exhibitum per illud*, Paſce oves meas: *utroque autem in loco intelligi juriſdictionem pleniſſimam etiam exteriorem*. Addit nihilominus continuo, *his non impediri Primatum*.

His ita ſe habentibus, nullo jam ex capite movere mihi litem poteſt Romanus Cenſor, quam quod ego reſtrictionem Epiſcopalis poteſtatis non tam ad Romanum Pontificem, quam ad Eccleſiam ejuſque Œcumenicam Synodum refero, contra quod ipſe cum ſuis Ultramontanis volunt.

Sed cum utraque poteſtas, & Papalis & Epiſcopalis, ſit immediate a Deo: cum utraque in ſua inſtitutione a Chriſto facta ſit abſoluta & illimitata, & quidem ſub eodem genere, ut ſuo jam loco audivimus a *Sancto Thoma*: (quo & illud ſpectat Hieronymi ad Evangelum; *Ubicumque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii, ejuſdem meriti eſt, ejuſdem & Sacerdotii*) nonne conſultius eſt Epiſcopalis auctoritatis reſtrictionem ad illud referre, ad quod a Conſtantienſi Synodo Pariſienſibuſque Theologis refertur reſtrictio poteſtatis Papalis?

Sed objicit mihi Romanus Cenſor Gerſonem in Tractatu *de Statibus Eccleſiaſticis* conſid. III. ſic ſcribentem (a):

Sta-

(a) Anonym. pag. 380.

Status prælationis Epiſcopalis habuit in Apoſtolis & Succeſſoribus uſum vel exercitium ſuæ poteſtatis ſub Petro & Succeſſoribus, tamquam ſub habente vel habentibus plenitudinem fontalem Epiſcopalis auctoritatis. Quæ ſic intellecta, ut Petro quidem tamquam vertici & Collegii Principi ſubeſſe deberent ceteri Apoſtoli; utque a Petro ipſo Epiſcopatus, & in Epiſcopatu contentæ poteſtatis origo ſit repetenda; (quemadmodum adſinia quædam loca antiquorum explicat *Boſſuetus* Libro XIII. cap. XII.) quis non admittat? Addit ex eodem *Gerſonis* loco: *Unde & quoad talia minores Prælati ſubſunt Epiſcopis, a quibus uſus ſuæ poteſtatis quandoque limitatur & arcetur: & ſic a Papa poſſe fieri circa Prælatos majores ex certis & rationabilibus cauſis non eſt ambigendum*. Et id Anonymo adſentior, modo ut fraus omnis abigatur, duo addantur.

Primum ex *Gerſone* ipſo (a): ut Papa quidem limitare & coarctare poſſit uſum Epiſcopalis poteſtatis, ſed ſub Eccleſia ſeu Concilio Generali, hujuſque Canonibus ſalvis & inviolatis. Lege Librum *De Poteſtate Eccleſiaſtica* conſid. x. & Epilogum ei ſubjunctum concluſione 11. & *Tractatum de Statu Prælatorum*, conſid. IX. Ubi ille docet, *immediatum imo immediatiſſimum* Paſtorem uniuſcujuſque Diœceſos ſolum eſſe Epiſcopum: proindeque *plenitudini poteſtatis Papalis ſuper omnes inferiores locum eſſe ſolum, dum ſubeſt neceſſitas ex defectu Ordinariorum*. Et poſſe Epiſcopos, *ſi nimis arctentur in juribus eſſentialibus quoad reſtrictionem uſus vel exercitii*, opem adverſus Pontificem implorare vel Concilii Œcumenici, vel Principum ſæcularium. Sane Petri Succeſſori non major auctoritas in Coepiſcopos tribuenda eſt, quam Petro ipſi in Coapoſtolos. Quis autem credat, Petro ſic obnoxios extitiſſe divino jure ceteros Apoſtolos, ut Paulum verbi gratia Corinthi, Joannem Epheſi Apoſtolica miniſteria pro data ſibi a Chriſto auctoritate ſancte ac diligenter obeuntem, vel ab officio ſuſpendere, vel illius uſum atque exercitium

 ſolo

(a) *Gerſon*. Tom. II. pag. 240. & 256. & 533.

ſolo Primatus jure coarctare poſſet? Non id certe credebat *Gregorius* ille *Magnus*, cujus in ſuperioribus cumprimis memoranda verba laudavimus ex Lib. IX. epiſt. 59. *Si qua culpa in Epiſcopis invenitur, neſcio quis Sedi Apoſtolicæ ſubjectus non ſit: ubi vero culpa non exigit, omnes ſecundum rationem humilitatis æquales ſunt.*

Alterum ex Decreto Cleri Gallicani adverſus *Joannem Bagotium* (a): *Epiſcopos immediate a Chriſto accipere juriſdictionem, atque in ſuis Eccleſiis gubernandis eadem auctoritate pollere, qua Apoſtoli. Nec ſe habere Papam reſpectu cujuſcumque Epiſcopi & cujuſcumque Diœceſeos, ut ſe habet Epiſcopus reſpectu cujuſcumque Curati & cujuſcumque Parœciæ; ſed inter utrumque ingens diſcrimen eſſe, etiam jure divino.* Hæc frequentiſſimus cœtus Pariſiis anno MDCLV.

Referri huc poteſt, quod ſcribit *Toſtatus Abulenſis* Epiſcopus q. 87. in Matth. XVI. (b): *Licet Papa ſit univerſalis Prælatus, non tamen eſt Prælatus proprie immediatus omnium hominum, accipiendo immediatum, id eſt, quod non habeat ſub ſe alios Prælatos directe ſubjectos; licet ſit immediatus Prælatus; id eſt, potens uti clave immediate ſuper quemlibet hominem. Ideo non ſe habet omnino Papa ad omnes homines fideles, ſicut Epiſcopus ad omnes de ſuo Epiſcopatu: quia Epiſcopus ſub ſe nullos habet habentes ordinariam juriſdictionem; ſed Curati omnes ſunt commiſſarii: & ſic tota juriſdictio eſt Epiſcopi immediate; & ſi nollet ponere Curatos, ſed ipſe admiſtraret, licite faceret, ſi ſufficeret ad hoc.*

Ab Epiſcopis Succeſſoribus Apoſtolorum, tranſeo jam ad Parochos, qui Diſcipulis ſuccedere dicuntur. Exultat hic ſupra modum Romanus Anonymus loco *Gerſonis* altero, quem ex Libro *De Poteſtate Eccleſiaſtica* conſid. XII. deſcribit, & in quo *Gerſon* adfirmat, verba illa, *Quodcumque ſolveritis ſuper terram, &c.* dicta eſſe *nedum Apoſtolis, ſed & Diſcipulis, juxta Gloſſas Doctorum in hoc loco.* Addit eruditus Cenſor ex Hie-

(a) *Boſſuet.* Lib. XIII. cap. 14. edit. Luxemburg. Tom. II. p. 239.
(b) *Abul.* Tom. XXI. p. 332.

Hieronymo, *Beda*, *Joanne Polliaceno*, & *Richerio*, Presbyteros curam animarum habentes ſeptuaginta duobus Diſcipulis ſucceſſiſſe. Addere autem his poterat Pontificale Romanum, ubi hoc ipſum traditur in conſecratione Presbyterorum verbis illis, quibus Epiſcopus Presbyteros adloquitur: *Vos ad formam ſeptuaginta duorum eſtis*. Et quaſi ego in omnia *Gerſonis* verba juraſſem, Parochos ſic argumentantes inducit adverſus Epiſcopos (a): *Quibus aliis Evangelicis teſtimoniis juriſdictionem veſtram abſolutam, illimitatam, ac deſpoticam ſuperſtruit* Pater Pereria, *quam verbis illis divini Redemptoris* Matth. XXVIII. 18. Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. *Et illis* Joan. XX. 21. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c. *Quare autem vobis hæc dicta intelliguntur, niſi quod dicta Apoſtolis, dicta quoque vobis intelliguntur Apoſtolorum Succeſſoribus. Atqui non Apoſtolis tantum, ſed etiam Diſcipulis ſeptuaginta duobus verba illa dicta ſunt ſecundum* Gerſonem *illum, cujus placitis Liber* Patris Pereriæ *magnam partem innititur. Ergo vel non tantam vos auctoritatem accepiſtis; vel eandem & parem nos vobiſcum auctoritatem accepimus*.

Qui ſic argumentatur, eum quidem eſſe oportet vel admodum malignum, vel in re Theologica plane hoſpitem. Quis enim neſciat, ex ſententia Eccleſiæ Gallicanæ totiuſque Pariſienſis Academiæ, poteſtatem ſeu juriſdictionem Parochorum divinæ inſtitutionis eſſe, & a Chriſto immediate in Parochos ipſos, non ſecus ac in Epiſcopos derivari? Id Clerus Gallicanus in Cenſura adverſus *Bagotium*: id Pariſienſis Academia in Cenſura adverſus *Sarrazinum* & *Vernantium*: id *Petrus de Alliaco*, id *Joannes Gerſon*, id ceteri Pariſienſes paſſim docent ac proteſtantur. Jam vero negare non poteſt Romanus Anonymus, non aliis Evangelii teſtimoniis probari ab Epiſcopis ac Doctoribus Gallis di-

 vi-

(a) Anonym. pag. 132. & ſeq.

vinam inſtitutionem divinamque auctoritatem Parochorum; niſi quibus a me probata fuit divina inſtitutio divinaque auctoritas Epiſcoporum. Tota enim poteſtas ſuis a Chriſto collata, adminiſtratione Sacramentorum, claviumque poteſtate circumſcribitur. Hanc autem poteſtatem adminiſtrandi Sacramenta & remittendi peccata, non alia toto Evangelio loca deſignant, quam quæ ſunt a me allata vel his ſimilia alia.

Quærat ergo Romanus Cenſor a Clero Gallicano & a Sorbonica Facultate, qui fieri poſſit, ut cum Evangelium non aliis in locis de Parochorum poteſtate agat, quam ubi agit de poteſtate Epiſcoporum; inferiores nihilominus Epiſcopis credi debeant Parochi, prout revera creduntur & credi jubentur ab ipſa Eccleſia Gallicana & Pariſienſi Academia? Quidquid autem pro ſe reſponderint Galli Epiſcopi ac Doctores; id ille a me & pro me dictum intelligat.

Sed nequis forte ſuſpicetur, Romani Anonymi argumento ſuccubuiſſe me, & quia ſuccubui, ſiluiſſe: reſpondeo primo, concedendo majorem & minorem, & negando conſequentiam, ſeu potius diſtinguendo ſecundam ejus partem: *Vel eandem & parem nos vobiſcum auctoritatem accepimus*; eandem & parem in ſubſtantia ſeu radicaliter, & in actu primo, concedo; eandem & parem in modo ſe ſe explicandi, ſeu quoad uſum, & in actu ſecundo, nego. Nihil enim vetat, quominus poteſtas quæ in utriſque una atque eadem eſt quoad ſubſtantiam & in ſe; ubi tamen exercenda eſt & ad actum reducenda, plenius & liberius ſe exerat in Epiſcopis, quam in Presbyteris. Quo illud referri poteſt, quod ſupra ex *Durando*, *Boſſueto* & Pariſienſi Facultate audivimus, cum de reſtringendo uſu collatæ divinitus poteſtatis ageremus.

Nihil item vetat, quominus una eademque poteſtas omnibus data, & ſub iiſdem verbis data, aliis quidem uberius atque excellentius detur, quam aliis. Nam & verba illa, *Paſce oves meas*, non ſolum ad Petrum, ſed etiam ad ceteros Apoſtolos pertinere, docet cum tota antiquitate *Auguſtinus*: & tamen Petro paſcendarum ovium curam ſpecialius & nobilius quam ceteris

teris demandatam, omnes ad unum conſentiunt.

Hinc Tridentina Œcumenica Synodus, dum Seſſione XIV. cap. 2. perſuadere intendit adverſus Novatianos, inveniri in Eccleſia poteſtatem ad omnia etiam atrociſſima peccata remittenda; alio ſane teſtimonio non utitur, quam illo *Joan.* XX. *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* quo docet, datam a Chriſto clavium poteſtatem *Apoſtolis eorumque legitimis Succeſſoribus* utique pleniſſimam, & cui nulla peccata ſubtrahi poſſent. Et tamen cap. 7. mox docet ſancta eadem Synodus, *Summis Sacerdotibus* hoc eſt Pontifici & Epiſcopis, jus eſſe atrociora quædam crimina ſibi reſervandi, ne ab aliis remitti valeant. Quod jus Summis Sacerdotibus non competeret, nii eminentiori modo in Epiſcopis, quam in ceteris Sacerdotibus vigeret auctoritas ligandi atque ſolvendi.

Hinc etiam eſt, quod tota Catholica Eccleſia verba illa, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, &c.* in ordinatione tum Epiſcoporum, tum Presbyterorum pariter uſurpat. Quæ Catholica tamen Eccleſia Presbyteros Epiſcopis inferiores credit.

Similiter Conventus Generalis Cleri Gallicani, anno MDCCLXV. Pariſiis celebratus, ubi de auctoritate Epiſcoporum agit, eam quidem *Supremam auctoritatem* vocat, ſed non aliis teſtimoniis ſupremam oſtendit, quam quibus ego uſus fui, ut Acta legenti patebit. Interim probe ſciebant Gallicani Antiſtites, aliter in Epiſcopis, aliter in Presbyteris ſe habere poteſtatem clavium. Quare Illuſtriſſimus *Boſſuetus*, qui Libro III. cap. 9. docuerat, *non aliam a Chriſto in Eccleſiæ Miniſtros collatam poteſtatem inveniri*, niſi quæ continetur verbis illis, *Quodcumque ligaveritis, Quodcumque ſolveritis*, & ſimilibus: idem poſtea Libro XIII. cap. 13. plane profeſſus eſt cum tota Facultate Pariſienſi, juriſdictionem Parochorum non minus quam Epiſcoporum, immediate a Chriſto eſſe *quantum ad inſtitutionem primariam, ſed ſecundo loco ſub Epiſcopis exercendam.*

Denique *Gerſon* ipſe in Libro *De Modis uniendi ac reformandi Eccleſiam*, nullus dubitat adfirmare, *Epiſcopos in primitiva Eccleſia æqualis poteſtatis cum Papa fuiſ-*

 ſe,

ſe, quia id ſibi videbatur ex Evangelica & Eccleſiaſtica Hiſtoria recte colligere. An propterea Presbyteros Epiſcopis per omnia æquaſſe dicendus eſt *Gerſon*? Apage tam calumnioſa argumentandi ratio! qua ſemel admiſſa, Eccleſiaſticæ Hierarchiæ everſores habendi erunt, quotquot ex verbis Evangelicis docent, poteſtate clavium Apoſtolis & Succeſſoribus donata contineri omnem jurisdictionem ſpiritualem. Id autem cum antiquis Patribus omnibus docent omnes Theologi, ex quibus in priori Diſſertatione plurimos eoſque probatiſſimos jam audivimus. Neque putavit *Gerſon*, pugnare illud quod dixerat de pleniſſima poteſtate antiquorum Epiſcoporum, cum eo quod poſtea ſcripſit de Chriſto non ſolum Apoſtolos, ſed etiam Diſcipulos adlocuto. Cumque utroſque præſentes crederet, quando poteſtatem clavium ſuis donavit Chriſtus; tamen in Tractatu *De Statu Curatorum*, Conſid. 2. diſerte agnovit *Gerſon*, *Statum Presbyterorum eſſe inferiorem*, *& pro ſua perfectione variabiliorem*, *quam Epiſcoporum*.

Reſpondeo ſecundo, concedendo majorem & negando minorem ſuperioris ſyllogiſmi. Nam quod pro ea comprobanda adfertur ex *Gerſone*, nempe non ſolum Apoſtolos, ſed etiam Diſcipulos præſentes adlocutum eſſe Dominum, quando ſuis donavit poteſtatem peccatorum remittendorum: id ego pernego concedi a me oportere, qui non omnia *Gerſonis* tuenda ſuſcepi.

Sequens igitur *Ratramnum* Corbejenſem Monachum ſæculo nono, & cum *Ratramno Victoriam*, ac *Thomaſſinum*, dico: ſolos Apoſtolos perſonaliter, minime vero Diſcipulos fuiſſe præſentes, cum poteſtatem clavium ſuis immediate contulit Chriſtus Dominus.

Ratramni verba in Opere *adverſus oppoſita Græcorum* Libro IV. cap. 7. hæc ſunt: *Ergo ſi remiſſio peccatorum per Spiritum Sanctum contribuitur*, *& hoc munus Apoſtolis ſpecialiter conſtat eſſe donatum*, *quibus inſufflavit & dixit*, Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, &c. *jure ſolis Epiſcopis hæc gratia reſervatur*, *quos in Eccleſia conſtat Apoſtolorum ſucceſſionem & miniſterium ſortitos*.

Victoria in Relectione ſæpius laudata *De Poteſtate Eccle-*

cleſiæ, Num. 12. hanc concluſionem ponit (a): *Præter ſacros Apoſtolos nullus alius a Chriſto poteſtatem Eccleſiaſticam aliquam videtur accepiſſe. Hæc probatur etiam, quia in omnibus locis ubi data eſt poteſtas*, NON ERANT DISCIPULI. *Hæc probatur: nam ſi quiſquam alius accepiſſet, maxime fuiſſet ex numero ſeptuaginta duorum diſcipulorum. Sed illi non videntur accepiſſe: ergo de nullo eſt veriſimile, quod acceperit. De ſeptuaginta duobus autem probatur*, QUIA IN OMNIBUS LOCIS UBI DATA EST POTESTAS, NON ERANT DISCIPULI ISTI. *Fuerunt enim*, PRIMI ET SOLI, *qui a Chriſto Domino poteſtatem Eccleſiaſticam acceperunt*, DUODECIM APOSTOLI.

Thomaſſinus De Vetere & Nova Diſciplina Tom. I. Lib. II. cap. XXIV. Num. 6. (b). *Non tam perſpicue demonſtrari poteſt*, inquit, *& adminiſtrationem Sacramentorum & clavium poteſtatem Diſcipulis a Chriſto immediate traditam fuiſſe, quam prædicandi provinciam*. EVIDENTISSIME TEXTUS EVANGELICUS DOCET, *non eſſe delegatam a Chriſto ipſo poteſtatem clavium*, NISI PETRO ET APOSTOLIS. Et rurſus ibidem: *Non dicit* Hincmarus, NEC PER SCRIPTURAS LICEBAT UT DICERET, *a Chriſto immediate datam ſeptuaginta Diſcipulis poteſtatem clavium: ſed cautius & ſapientius dicit, claves conceſſas eſſe a Chriſto immediate Petro, immediate Apoſtolis, hoc eſt Epiſcopis; ac per Epiſcopos traditas eſſe Presbyteris, quos quodammodo in ſinu gerebant & complectebantur Epiſcopi.*

Quod ſi veteres Patres evolverimus, inveniemus profecto, hanc doctrinam non recentioribus tantum Theologis placuiſſe, ſed toti antiquitati fuiſſe perſuaſiſſimam & familiariſſimam. Nihil enim apud illos frequentius, quam eſſe in Epiſcopo totam eminentiam & plenitudinem ſpiritualis poteſtatis: eſſe Epiſcopum fontem, unde ad inferiores ordines poteſtas omnis Eccleſiaſtica derivatur: Epiſcopo propterea in Sacramentorum diſpenſatione omnino ſubditos & obnoxios eſſe oportere Presbyteros, Diaconos, & totum Clerum. Quod argumentum, quia egregie nuper tractatum eſt a Theologo

(a) *Victor.* p. 87. & 88. (b) *Thomaſſ.* Tom. I. p. 299.

logo Gallo, qui *de Juribus Epiſcopatus in Secundum Ordinem* Gallice ſcripſit eruditam Diſſertationem; quam impreſſam habeo anno MDCCLX. unum hic *Cyprianum* inſtar omnium dabo, qui in epiſtula IX. ad Clerum ſic ſcribit: *Quod non periculum metuere debemus de offenſa Domini, quando aliqui Presbyteri* NEC EVANGELII, NEC LOCI SUI MEMORES, *ſed neque futurum Domini judicium, neque nunc ſibi præpoſitum Epiſcopum cogitantes: quod numquam omnino ſub anteceſſoribus factum eſt, cum contumelia & contemptu præpoſiti totum ſibi vindicent, &c.*

Dixerit mihi fortaſſe aliquis Romanus Cenſor: Ergo doctrinam tu deſeris tuorum Pariſienſium, quibus placet, jurisdictionem Parochorum non minus quam Epiſcoporum eſſe immediate a Chriſto, prout anno MCCCCXXIX. definivit Sorbona adverſus *Joannem Sarrazinum*. Non deſero utique, ſi vox illa *immediate* ſumatur eo ſenſu, ut Chriſtus per ſe & proxime Presbyteratum inſtituiſſe credatur, non ſeparatum quidem ab Epiſcopatu, ſed in Epiſcopatu contentum. Neque aliud fortaſſe voluit *Gerſon*, ubi dixit, Chriſtum *nedum Apoſtolis, ſed & Diſcipulis* locutum eſſe, cum clavium poteſtatem inſtituit.

Quare ſummus vir *Petrus Aurelius*, idemque Theologus Pariſienſis, in eo ipſo Opere in quo Pariſienſis Academiæ defenſionem ſuſcepit, hoc eſt, in *Apologia Cenſuræ Sorbonicæ*; ubi de origine Parochorum ſermo incidit, mentem ſuam ſic explicavit, ut quamvis Parochorum officium eatenus tantum divinæ inſtitutionis dixerit, quatenus in Epiſcopatu ipſo quaſi in fonte includeretur; non putavit tamen, eo vel tantillum lædi celeberrimæ Facultatis placita. En *Aurelii* verba (a): *Parochorum officium ſi minus inſtitutionis Divinæ ſeorſum in ſe eſt, at eſt in Epiſcopo; quia in Epiſcopo incluſum a Chriſto eſt, ut in fonte ac plenitudine Eccleſiaſticæ & Hierarchicæ poteſtatis, cujus Parochialis poteſtas eſt decidua pars, ab Epiſcopo in Parochos, ut a fonte in rivum transfuſa, &c.* CA-

(a) *Aurel.* Tom. II. p. 225.

CAPUT V.

Tertio Capiti accuſationis fit ſatis, quod inde inſtituitur, quod verbis illis, Dic Eccleſiæ, *erectum a Chriſto dixerim ſupremum quoddam Tribunal, cujus judicio ſubjaceret ipſe Romanus Pontifex: hoc eſt, datam Eccleſiæ ejuſque Synodo Generali auctoritatem in omnes fideles cujuſcumque dignitatis etiam Papalis, ut Conſtantiæ definitum eſt anno* MCCCCXV.

Anonymi mala fides oſtenſa ex Gerſone, Almaino, Majore, Ænea Silvio, *&* Natale Alexandro.

DOctrina mea de poteſtate Concilii Generalis ſupra Papam hæc eſt, quam in *Tentamine Theologico* Principio V. Num. XVII. ex *Auguſtino*, *Gregorio Magno*, & Pariſienſibus Theologis adſtruxit, *Dictum illud Chriſti in Evangelio*, Si te non audierit, dic Eccleſiæ, *ad Petrum non minus, quam ad alios Apoſtolos pertinere. Ex eo planiſſime confici, poſt Romani Pontificis Tribunal, aliud in Dei Eccleſia ex inſtitutione Chriſti Tribunal eſſe ſupremum & ultimum, quo alios deferre, & quo ipſe ab aliis deferri poſſit Romanus Pontifex. Confirmari mirum in modum hanc doctrinam. ex eo, quod poſtquam Chriſtus in ſingulari numero dixit*, Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tamquam ethnicus & publicanus: *mox in plurali univerſos adloquens hæc ſubjunxit:* Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo, &c. *Perinde quaſi ſignificare vellet, poteſtatem ligandi & ſolvendi (quæ ipſa eſt poteſtas clavium,) a ſe potiſſimum conferri Corpori Apoſtolorum eorumque Succeſſorum, qui ut nobiliorem Eccleſiæ partem conſtituunt, ita etiam ab iis maxime denominatur Eccleſia.*

Solita arte & verſutia tacet hic Romanus Anonymus doctrinam Eccleſiæ Gallicanæ & Pariſienſis Facultatis, cujus non theſim modo, ſed theſis etiam probationes meas feceram in loco ſuperius deſcripto. Quaſi ergo ex uno *Richerio* deſumpſiſſem quæ docui, doctrina mea abutitur ad probandum, poſſe a Concilio Paro-

chorum judicari & puniri Epiſcopum, quemadmodum a Concilio Epiſcoporum Romanum Pontificem: Sic enim argumentatur (a): *Ex contextu Evangelico conſtat, illud* Dic Eccleſiæ *non magis Petro & Apoſtolis, quam Diſcipulis Chriſtum dixiſſe: proindeque illud* Dic Eccleſiæ *non magis ad Epiſcopos, quam ad Parochos pertinere. Nam eodem illo in loco* Matth. XVIII. *poſtquam dixiſſet Chriſtus*, Amen dico vobis, Quæcumque alligaveritis ſuper terram, *quo continetur poteſtas ligandi atque ſolvendi: continuo & illud ſubjunxit*, Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, &c. *quo poteſtas ſe congregandi in Concilium omnibus datur. Ex quo conſequens eſt, etiam Parochorum Concilio repræſentari poſſe Eccleſiam Diœceſanam, conſtarique eo Tribunal, cui Primas ipſe ſeu Epiſcopus Diœceſeos ſubjiciatur.* Eodem argumento *Richerium Duvallius*, *Boſſuetum* ceteroſque Epiſcopos Gallicanos oppugnarat *Charlaſius*.

Sed concluſio a me ſtabilita ex loco Evangelico *Matth.* XVIII. verſu 17. *Dic Eccleſiæ, & ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi tamquam ethnicus & publicanus*: ejuſque confirmatio ex verſu 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, &c.* ea ipſa concluſio & confirmatio eſt, quam in Scriptis ſuis conſtanter edidere Pariſienſis Academiæ *Proceres*: hoc ſolum cum diſcrimine, quod ego Concilium Generale ſupra Petrum & ſucceſſores Pontifices ex ſolo Collegio Apoſtolorum & Succeſſorum Epiſcoporum conſtituo: Pariſienſes vero Concilium ipſum Generale ſupra Petrum & Succeſſores conſtant ex Apoſtolis ac Diſcipulis, proindeque ex Epiſcopis & Parochis.

Gerſon *de Poteſtate Eccleſiaſtica* Conſid. IV. (b) *Nec accipiendum eſt hic*, Dic Eccleſiæ, *id eſt Papæ: quoniam Chriſtus Petro loquebatur, qui non dixiſſet ſibi ipſi. Item quia ſubjungit pluraliter:* Quæcumque ligaveritis ſuper terram, &c. Et Conſid. XII. Determinationem refert Sacræ Facultatis Pariſienſis, in qua *Domini Curati* dicuntur *eſſe in Eccleſia minores Prælati & Hierar-chæ*

(a) Anonym. p. 148. & ſeq. (b) Tom. II. p. 231. & 250.

chæ ex primaria inſtitutione Chriſti. Unde colligit *Gerſon*, Concilio Generali intereſſe debere non ſolum Epiſcopos, ſed etiam Parochos.

Jacobus Almainus *de Auctoritate Eccleſiæ & Concilii Generalis*, cap. VI. (a) *Chriſtus hanc poteſtatem immediate contulit Eccleſiæ, capiendo Eccleſiam pro collectione omnium fidelium, ſive pro collectione omnium Prælatorum, majorum & minorum, qui ſuccedunt Apoſtolis & Diſcipulis, ſive pro Concilio Generali Eccleſiam repræſentante.... Et quod de Eccleſia prout eſt plurium collectio, intelligatur, patet ex eo, quod poſtquam dixit*, Dic Eccleſiæ; & ſi non audierit, &c. *ſtatim ſubjungit pluraliter:* Quæcumque alligaveritis ſuper terram, &c. *Ergo non capit ibi Eccleſiam pro uno ſuppoſito, ſed pro pluribus.*

Joannes Major in Diſputatione *de Auctoritate Concilii ſupra Pontificem Maximum*, quæ Pariſiis impreſſa anno MDXVIII. recuſa extat ad calcem Tomi II. Gerſonianorum Operum (b). *Per illa verba*, Dic Eccleſiæ, *datur poteſtas toti Eccleſiæ, capiendo Eccleſiam pro Prælatis majoribus & minoribus, ſive pro Concilio Generali Eccleſiam repræſentante, quia pluraliter ſubjungitur*: Quæcumque alligaveritis ſuper terram, &c.

Natalis Alexander Diſſertatione IV. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſæculi XV. & XVI. ubi Conſtantienſia Decreta probat ex Scripturis (c): *Quomodo vero denunciari poſſet Eccleſiæ & ab ea corrigi, niſi ejuſdem Eccleſiæ vel Synodi Generalis ipſam repræſentantis poteſtas eſſet Pontificia ſuperior, & Eccleſia poteſtatem clavium a Chriſto immediate accepiſſet, qua fideles omnes & ipſum Romanum Pontificem ligare poſſit & ſolvere? Unde Chriſtus ibidem ſubdit*: Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo, &c. *Qui locus probat invicte, claves immediatius Eccleſiæ, quam Petro datas.*

Sed quid privatas Academias, privatoſque Doctores Pariſienſes commemoro? Jam alibi *Æneam Silvium* in Hi-

(a) Ibid. p. 987. (b) Ibid. p. 1133.
(c) *Natal.* Tom. 8. p. 372.

Hiſtoria *de Geſtis Concilii Baſilienſis* audivimus ita dicentem: *Conſtantienſis Synodus per Spiritum Sanctum directa verba illa* Dic Eccleſiæ, *de Concilio Generali eſt interpretata*. Quod ipſum paſſim teſtatur oculatus teſtis *Gerſon* in Tractatibus ſcriptis poſt celebratam eandem Synodum Conſtantienſem.

Calamum igitur non in me diſtringat Romanus Anonymus, ſed in Patres Conſtantienſes, in *Gerſonem*, in *Almainum*, in *Majorem*, in totam Academiam Pariſienſem. Ab his, non a me quærat, qua ratione ex illo *Dic Eccleſiæ*, & *Quæcumque alligaveritis*, conflari poſſit Concilium Generale ex Epiſcopis & Parochis conſtans, in quo Romanus Pontifex judicetur & puniatur; conflari autem non poſſit Concilium Diœceſanum ex ſolis conſtans Parochis, cujus judicio & auctoritati ſubjaceat Epiſcopus.

Similiter ſi ex alio illo loco, *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo*, putat Romanus Theologaſter pari auctoritate donandum Concilium Parochorum, ac Concilium Epiſcoporum: quærat non a me, ſed ex *Bellarmino* in Libris *de Conciliis*, qua ratione non una eademque poteſtate gaudeant Concilium Generale, & Concilium Provinciale; cum ex eodem illo teſtimonio utriuſque Concilii poteſtatem probet cum Theologis omnibus ipſe *Bellarminus*.

Quod deinde argumentatur Romanus Cenſor (*a*) de Parochis a me ſubjectis communitati laicorum; putida illa calumnia eſt, putidumque mendacium, a me in ſuperioribus refutatum non ſemel.

CA-

(a) Anonym. p. 162. & ſeqq.

CAPUT VI.

An ferendum ſit ad ſchiſma referri quarto loco ab Anonymo Romano; quod ego ſcripſi in Tentamine Theologico *Principio* v. *Num.* xxxvi. Summum Pontificem non eſſe caput Eccleſiæ univerſalis collective ſumptæ, ſed diſtributive.

Eccleſia mortuo Papa non remanet acephala. Ex Panormitano, & Gloſſa Clementinarum.

Diſtinctio ſenſus collectivi & diſtributivi, ubi Romanus Pontifex cum Generali Synodo comparatur, firmata rurſus ex Alliacenſi, Gerſone, Almaino, Boſſueto.

Ex omnium Theologorum & Canoniſtarum ſententia multi caſus contingere poſſunt etiam extra ſchiſma, in quibus abſque Romano Pontifice celebrari poſſit ac debeat Concilium Generale.

Teſtimonia Veterum *ex* Thomaſſino *objecta ab Anonymo, ſoluta ex* Boſſueto.

Chalcedonenſes Patres & Bernardus *fruſtra ab eodem Anonymo in auxilium vocati.*

QUartum caput accuſationis in me inſtitutæ adgredior. A pagina centeſima nonageſima quarta ad ducenteſimam quadrageſimam octavam, in quam deſinit ſecunda Diſſertatio; nihil aliud Romanus Anonymus agit, quam petitis ex *Cajetano* & *Bellarmino* vanis argutiis demonſtrare, Eccleſiam in meo ſyſtemate eſſe acephalam: diſtinctionem ſenſus collectivi & diſtributivi irridere: loca aliqua ex antiquis Patribus, Epiſcopiſque Gallicanis objicere, quibus probetur Romanus Pontifex Eccleſiæ & Conciliorum caput.

Quod ad illud ſpectat de capite Eccleſiæ, ſi Eccleſia propterea dici debet acephala, quod ejus univerſaliter ſumptæ caput non ſit Romanus Pontifex: acephala multo magis dicenda eſt Eccleſia, nullo exiſtente Papa, ut ſit Romana Sede vacante. Quod tamen ne ipſi quidem Ultramontani Doctores concedunt. *Panormitanus* in cap. *Significaſti*, *de Electione* ſub finem: *Omnes fideles orbis conſtituunt Eccleſiam univerſalem, cujus*

jus caput & Sponſus eſt ipſe Chriſtus : Papa autem eſt Vicarius Chriſti , & non vere caput Eccleſiæ , ut notat Gloſſa in cap. Ne Romani , quæ notabiliter dicit , quod mortuo Papa Eccleſia non eſt ſine capite . Gloſſa in Clementinam *Ne Romani* , §. *Non conſonum* , ita habet : *Ad id quod dicitur , non eſſe veriſimile , filium Dei voluiſſe mortuo Papa gregem fidelium eſſe ſine Paſtore , vel Eccleſiam ſine Sponſo : Reſpondeo quod Sponſus , Rector , & Paſtor eſt Chriſtus , & caput Eccleſiæ , quæ eſt ipſius corpus , &c. Licet ergo deficiat Vicarius , non deficit principalis , quia Vicariatus ſolùm Petro & Succeſſoribus Apoſtolis datus fuit .*

Quid igitur mirum , quod ego Pariſienſium doctrinam ſecutus dixerim , Papam non eſſe caput Eccleſiæ eo ſenſu , quo Eccleſiam ejusque Concilium Generale Papæ ſuperiorem ſtatuo cum Patribus Coſtantienſibus? *Petrus de Alliaco* in Tractatu *de Auctoritate Eccleſiæ , Concilii Generalis , & Romani Pontificis* , Parte III. cap. IV. cum ſibi oppoſuiſſet ex Decreto *Gratiani* celeberrimum Canonem (a) , *Nemo judicabit primam Sedem , nec ab omni Clero Judex judicabitur* : ſic reſpondet , *Poteſt dici quod ibi illud verbum* , Nec ab omni Clero Judex judicabitur , *non capitur collective pro toto Clero univerſali , ſeu Concilio Generali ; ſed capitur diſtributive , &c.* Deinde in ſolutione argumentorum concedit quidem , *Papam eſſe majorem & ſuperiorem in Concilio , cum ſit caput omnium membrorum :* ſed negat inde conſequens fieri , *quod Papa ſit major & ſuperior Concilio . Et ad hoc probandum* , inquit , *videtur eſſe ratio evidens ; quia omne totum ſua parte majus eſt , loquendo de toto reſpectu ſuarum partium integralium . Sed Papa eſt pars Concilii , ſicut caput pars corporis : ergo totum Concilium majus eſt Papa , & per conſequens auctoritas totius Concilii major auctoritate Papæ .* Et poſt alia *: Ex his ſexto infertur , quod quamvis Papa concedatur eſſe caput Eccleſiæ , tamen hoc eſt ſub principali & eſſentiali capite Chriſto : & ideo ſubordinatio corporis Eccleſiæ ad Papam eſt ſolum acciden-* ta-

(a) *Gerſon.* Tom. II. p. 956. & ſeqq.

talis, ſed eſſentialis ad Chriſtum, a quo immediate habet auctoritatem, & illud privilegium quod non poteſt errare in fide, QUOD PRIVILEGIUM NON HABET PAPA.

Joannes Gerſon Libro I. *Articulorum contra Petrum de Luna*, Articulo XI. (a) *Reſpondeo quod ſimilitudo corporis veri & myſtici non eſt uſquequaque eadem: quoniam ſine capite naturali corpus non poteſt vivere, ſed ſine capite ſecundario corpus myſticum poteſt habere vitam: ſicut in caſu noſtro patet de Papa, quo remoto vel abſciſſo, ſtat unitas & vita in corpore myſtico Eccleſiæ; & hoc virtute capitis eſſentialis & primi, quod eſt Chriſtus.* Et in Sermone *S. Antonii Abbatis* docet (b): *Dandam Summo Pontifici ſupremam & abſolutam poteſtatem Eccleſiaſticam; ſed hoc in comparatione ad fideles ſingulos, & particulares Eccleſias; non vero facta comparatione ad auctoritatem Eccleſiæ ſynodaliter congregatæ.*

Jacobus Almainus in Tractatu de *Poteſtate Eccleſiæ & Concilii Generalis* cap. VIII. cum objeciſſet ſibi primum argumentum *Cajetani* (c), *Papa eſt caput Eccleſiæ Univerſalis, & non ſolum ſingulorum membrorum*; ſic illud ſolvit: *Ad primum, negat* Joannes *Patriarca Antiochenus, (vir profecto doctiſſimus, qui interfuit Concilio Baſilienſi, cujus meminit Panormitanus in Tractatu quem edidit ſuper depoſitione* Eugenii IV. *) quod Papa ſit caput totius Eccleſiæ categorematice, etiam loquendo de capite miniſteriali: notum eſt enim de Chriſto capite principali: Conſiderato, inquit, quod eſſe caput denotat præminentiam & ſuperioritatem, quam Summus Pontifex non habet ſupra Eccleſiam, cum non ſit Dominus Eccleſiæ, ſed miniſter: dictum eſt enim a Chriſto Petro: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, Matth. XVI. 18. *& non eſt dictum, ædificabo Eccleſiam tuam. Major eſt autem qui recumbit, & minor qui miniſtrat, juxta dictum Salvatoris: eſt ergo miniſter inferior, & non ſuperior domino. Reſpectu tamen Eccleſiarum particularium, Papa eſt caput miniſteriale; quia ratione miniſterii Petro com-*

(a) Ibid. pag. 295.
(b) Ibid. pag. 355.
(c) Ibid. pag. 994.

commiſſi, *habet ſuper eas ſuperioritatem*. *Et ad omnes auctoritates ſonantes*, *quod Papa ſit caput Eccleſiæ*, *reſpondet* QUOD FIT DISTRIBUTIO PRO PARTICULARIBUS ECCLESIIS, ET NON PRO TOTA. *Et conformiter ad eum* DICIT NICOLAUS DE CUSA *ultimo capite ſui Secundi Libri* De Concordia Catholica, *quod conſtitutus eſt Petrus & Summus Pontifex quilibet ſuperior ſingulorum*, *ſed non omnium*.

Hinc certe locum habet illud *Gregorii Magni* Libro V. epiſt. 18. quod ſæpius alibi commemoravimus (a): *Certe Petrus Apoſtolorum primus membrum ſanctæ & univerſalis Eccleſiæ*: Paulus, Andreas, Joannes, *quid aliud, quam ſingularium ſunt plebium capita? & tamen ſub uno capite* (Chriſto) *omnes membra ſunt Eccleſiæ*. Diligentiſſime omnino *Gregorius*, cum *Paulum*, *Andream*, *Joannem*, particularium Eccleſiarum *capita* adpellet; Petrum tamen ipſum, ubi ad univerſalem Eccleſiam comparatur, non caput, ſed *membrum* vocat.

Illuſtriſſimus *Boſſuetus*, Libro XIII. cap. XV. laudato *Gregorii* teſtimonio ſic ſcribit (b): *A quo capite*, *Chriſto ſcilicet*, *vim omnem ſuam ducunt*, *non a Petro*; *qui licet ſuo modo caput omnium*, *reſpectu tamen una cum ipſis membrum eſt*, *omnibusque pariter virtus & auctoritas a Chriſto tribuitur*, &c.

Rurſus Lib. XV. cap. II. (c): *Quare & illud certum eſt*, *in ipſa miniſteriali petra*, *Romano ſcilicet Pontifice Petri Succeſſore*, *vim eſſe præcipuam illam quidem ac principalem*; *ſed tamen partialem*, *ut vocant*, *ita ut totum ipſum parte ſit firmius*.

Luculentiſſime autem Libro XV. cap. XIV. (d): *Atque hinc illud ſolvitur*, *quod paſſim objiciunt*: Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum. *Nec ſi diſcipulorum turba millies congregetur*, *ideo magiſtrum auctoritate vincet*. *Id quidem Chriſtum de ſe dicere*, *ut magiſtro unico*, *ſequentia docent*; Nec ſervus ſuper dominum ſuum. *Neque enim Chriſtiani alterius quam Chriſti ſervi ſumus*. *Sed* pro-

(a) *Gregor.* Tom. II. p. 743.
(b) *Boſſuet.* Tom. II. p. 242.
(c) Ibid. p. 331.
(d) Ibid. p. 349.

propter reverentiam quorundam Pontificum Romanorum, qui hunc ſibi locum attribuunt; reſpondemus ex ante dictis: in Chriſtiana Eccleſia docendi auctoritatem accepta a Chriſto per Apoſtolos traditionis niti teſtimonio. Porro traditionis omnes Epiſcopi teſtes ſunt: at vis teſtimonii teſtium conſenſu conſtat. Summa ergo auctoritas in eo conſenſu eſt poſita: tum Papa in Chriſti nomine, RESPECTU ECCLESIARUM PARTICULARIUM EST MAGISTER ILLE QUIDEM: SED RESPECTU ECCLESIÆ CATHOLICÆ DISCIPULUS; *cum in Eccleſiæ Catholicæ conſenſione manifeſtum appareat Spiritus Sancti magiſterium.*

Quis non videat, quo loco ſpectatur a *Boſſueto* Romanus Pontifex ut Magiſter ſeu Doctor in Eccleſia, eodem ſpectari illum ut caput ſeu Principem in Eccleſia? Atqui Magiſtrum ſeu Doctorem ille Romanum Pontificem dicit *reſpectu Eccleſiarum particularium*; diſcipulum vero *reſpectu Catholicæ Eccleſiæ*. Ergo ſimiliter Romanum Pontificem *Boſſuetus* conſiderat caput & Principem particularium Eccleſiarum & fidelium ſingulorum; reſpectu vero univerſalis Eccleſiæ jam non caput & Principem, ſed miniſtrum.

Id quia ex aliis *Boſſueti* locis in priori quoque Diſſertatione jam oſtendimus; ſufficiat nunc ſequentem deſcribere ex Libro XV. cap. XXII. Ubi objectum illud ex *Gelaſio I.* (a): *Quod de omni Eccleſia fas habet judicandi Apoſtolica Sedes: illam de tota Eccleſia judicare; ipſam ad nullius commeare judicium*: ſic ſolvit laudatiſſimus Epiſcopus. *Cum* Gelaſius *Sedi Apoſtolicæ facultatem attribuit de omni Eccleſia judicandi, ſive quod idem eſt, de tota Eccleſia: omnem ac totam in Synodis congregatam ne quidem cogitabat: ſed quod ſæpe diximus, quod Synodus Conſtantienſis, Martino V. approbante atque exſcribente expoſuit*, OMNEM PER PARTES; *ut ſcilicet ab ejus judicio nulla pars orbis immunem ſe putaret.*

Ex dictis planiſſimum fit, quod Romanus Anonymus ad ſchiſma refert, Romanum Pontificem caput eſſe Eccleſiæ non univerſaliter ſumptæ, ſed particula-

 riter

(a) Ibid. p. 565.

riter ſumptæ; id tamquam omnino orthodoxum atque certiſſimum tradi cum a Patribus Conſtantienſibus & Baſilienſibus, tum a laudatiſſimis quibuſque Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcopis ac Doctoribus, quibus ſchiſmatis labem adſpergere intolerandi eſt ſupercilii. Ex quo etiam elucet, pari temeritate, ne dicam inſolentia, diſtinctionem illam ſenſus collectivi & diſtributivi inſectatum fuiſſe Romanum Cenſorem: omninoque extra rem eſſe, quidquid ille ex antiquis Patribus, *Cypriano* præſertim & *Auguſtino*, congeſſit ad probandam abſolutam Papæ Monarchiam, de qua illos ne cogitaſſe quidem toties alibi demonſtratum eſt.

At *Boſſuetus*, inquit, in Diſſertatione Prævia ad Defenſionem Cleri Gallicani ſic docebat (a): *Pariſienſes ultro conſentiunt ex antiquiſſimis regulis, Synodos Generales abſque Romano Pontifice nullas eſſe & irritas*. Concedo. Sed primo quid inde? an quia Œcumenicam Synodum abſque Romano Pontifice *nullam & irritam habent Galli*, Romanum ipſum Pontificem, non ſingularum modo Eccleſiarum, ſed etiam totius Eccleſiæ collectim ſumptæ caput & ſuperiorem propterea agnoſcunt? Negant obfirmate, ut modo audivimus, Pariſienſium Proceres *Alliacenſis*, *Gerſon*, *Almainus*: negat omnium nomine idem *Boſſuetus*.

Deinde cur tacet Anonymus, quod apud eundem *Boſſuetum* diſerte legitur Libro III. cap. I. (b): *Sane apud omnes conſtat, certis quidem caſibus extraordinariis, Concilium abſque Papa congregari poſſe; idque non modo in ſchiſmatis caſu, ſi Papa ſit dubius; ſed etiam ſi ſit hæreticus, ſi detentus, ſi mente captus, ſi aperte ſimoniacus, &c. quos caſus evenire poſſe, Theologi Canoniſtæque omnes agnoſcunt. Atque iis in caſibus Papæ Concilium anteponi oportere nemo diffitetur*.

Cur tacet illud a *Gerſone* toties inculcatum (c): *Eccleſia vel Generale Concilium potuit & poteſt congregari ſine*

(a) Anonym. p. 197.
(b) Tom. I. p. 65. edit. Luxemburg.
(c) *Gerſon* Tom. II. p. 135. 172. 205. & 344.

ne expreſſo conſenſu vel mandato Papæ etiam rite electi & viventis, in multis caſibus. Quos caſus ipſe diligenter enumerat cum in Sermone *Ambulate dum lucem habetis*, tum in aliis Sermonibus & Tractatibus: præſertim vero in Libro *De Poteſtate Eccleſiaſtica*, conſid. XI. ubi ſic ſcribit: *Concilium Generale in ſua ratione formali includit de neceſſitate Papalem auctoritatem*, SIVE PAPA SIT SIVE NON SIT, *&c.*

Cur tacet ab eodem illo *Boſſueto* Lib. XV. cap. XX. XXI. & XXII. (a) adfatim ſatisfactum iis, quæ adverſus Conciliorum ſuperioritatem objici ab Ultramontanis ſolent, re ipſaque ab Anonymo Romano objiciuntur (b), vel ex ſuppoſititia Synodo Sinueſſana ſub *Marcellino*, vel ex altera vera Romana ſub *Symmacho*, vel ex CPna Generali VIII. vel ex epiſtula Nicolai I. vel ex Reſponſione Epiſcoporum Gallorum in cauſa Leonis III.

Cur tacet, ab eodem *Boſſueto* Libro X. cap. XVI. (c) præclare ſoluta ea, quæ ad Pontificiam Monarchiam ſuper omnem Conciliorum auctoritatem provehendam & exaltandam (d), ex Legatione Gallorum ad Eugenium IV. Gallis ipſis oppoſuerat *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCCXLI. & quæ nunc mihi ad creandam invidiam opponit idem Anonymus?

Jam ergo univerſa teſtimoniorum machina in uno eo conſiſtit, quod Romanum Pontificem *caput* vocarint Patres Concilii Chalcedonenſis, ex quorum Relatione hæc deſcribit Anonymus. *Quibus tu quidem, ſicut membris caput, præeras*. Quaſi verba illa, *ficut membris caput*, non diſtributivum potius, quam collectivum ſenſum exprimerent. Nam quæ ex *Bernardo* paullo poſt amplificat bonus Anonymus, utpote inepto oratore magis, quam gravi Theologo digna, ne memorari quidem debent.

M 3 CA-

(a) *Boſſ.* Tom. II. p. 364. & ſeq.
(b) Anonym. p. 172. & 389.
(c) *Boſſ.* ibid. p. 95. & ſeq.
(d) Anonym. p. 204.

CAPUT VII.

Ex Thoma Corcellæo, Boſſueto, & Fleurio *id everti- tur, quod Anonymus objicit: doctrinam de ſuperiorita- te Conciliorum Generalium majeſtati & independentiæ Principum Sæcularium eſſe noxiam & periculoſam.*

AD calcem fere totius Operis hæc ſcribit Romanus Anonymus (a): *Pater* Pereria, *qui tantum ſtudii & operæ poſuit in demonſtranda ſuperioritate Concilii re- ſpectu Papæ, moneri debet, fundamentum præcipuum hu- juſce opinionis eſſe revera ſatis periculoſum dignitati & auctoritati abſolutæ Regum. Nititur enim hæc opinio au- ctoritate illa, quam in Reges habere dicitur Populus col- lective ſpectatus, vel Regni univerſitas. Hoc autem fun- damentum eſt, cui ejuſmodi opinionem ſuperſtruunt* Alliacenſis, Gerſon, Æneas Silvius, Joannes Major, Almainus, Richerius, & *alii*.

Sed monendus potius eſt Romanus Anonymus, non potuiſſe me illud ignorare, quod ſibi & ſuis objectum tanto ante diluerat magnus *Boſſuetus*, in cujus ſcriptis me valde verſatum ipſe non inficiatur.

Caput XXVIII. Libri X. hoc lemma habet apud *Boſſuetum*: *An ſententia de potiore Concilii poteſtate, Regum Juribus ac poteſtati noceat?* Thomæ Corcellæi *reſponſum, Propoſitio* Joannis Hus *in Conſtantienſi Concilio condemnata*. Hoc poſito, ſcribit deinde in hunc modum laudatiſſimus Antiſtes.

Nempe (b) *objiciunt, Regnis ac Regibus periculoſam eſſe noſtram ſententiam. Si enim ſpiritualis primus Ponti- fex Eccleſiæ & Concilio ſubſit; ſubeſſe multo magis Re- gno ac Generalibus Regnorum Conventibus temporales Re- ges. Quo maxime argumento in antiquam ſententiam Re- ges incitare conati ſunt. Sed* Thomas Corcellæus *id ab* Eugenii *Legatis objectum reſponſo edito coram Regni Prin- cipibus, ipſoque* Carolo *Septimo Rege ſic ſolvit:* Nec ulla-

(a) Anonym. p. 448. & ſeq. (b) *Boſſuet*. Tom. 11. p. 117. & ſeq.

latenus audiendi, qui ad alliciendos Reges & Principes in contrarium auctoritatis Conciliorum, dicunt quod ſi Concilia Generalia poſſent corrigere & deponere Summos Pontifices, pari ratione quod populi haberent corrigere & deponere Principes ſæculares. Qui enim talia dicunt, manifeſte auctoritatem Conciliorum & Declarationem Fidei ſuper hoc factam deſtruunt; non plus tribuentes auctoritatis ipſi Congregationi Eccleſiæ, quam uni communitati ſæculari, quæ non habet auctoritatem a Deo corrigendi aut puniendi Principem ſuum. Sed bene conficiant Definitionem Concilii Conſtantienſis: reperient in hoc magnam differentiam. Nam ipſum Concilium Conſtantienſe reprobavit illum articulum decimum ſeptimum inter articulos *Joannis Huſſii* contentum, quod Principes debeant puniri ad arbitrium populi: & tamen alterum probavit, quod Concilium Generale habet potestatem immediate a Christo, &c. Et hoc etiam apparet ex Sacris Scripturis, cum Chriſtus ipſe aſſignans differentiam inter hoc & illud dicat: *Reges gentium dominantur eis, vos autem non ſic*. Et *B. Petrus* in Canonica dicit de Paſtoribus, *non ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis*. Doctores quoque lucide declarant, quomodo Papa non eſt Dominus rerum Eccleſiæ, ſed miniſter. Valde quoque extraneum eſt & a veritate alienum dicere, quod non plus ſpiritualitatis reperiatur in Congregatione legitima Eccleſiæ, quam in una communitate ſæculari, &c.

Nobilem hanc *Corcellæi* orationem, ante *Boſſuetum* evulgarat *Pithæus* Tom. I. Probationum cap. XII. Num. 4. eandemque ego poſt utrumque Luſitanice dederam in Epitome *De Vita & Geſtis* Joannis Gerſonis.

Pergit Illuſtriſſimus *Boſſuetus*: *Quod autem quidam etiam Pariſienſes aliud docuerunt, dum totus fere orbis in ſumma juris publici ignoratione verſaretur: nego omnes, nego hoc fulcimento nixos tribuiſſe Conciliis potiorem poteſtatem. Nego Facultatem: nego Conſtantienſe Concilium peſſimis argumentis uſum. Nego hoc detracto, ſententiæ veritati ac ſimilitudini detractum eſſe quidquam: Quid, quod alia ſuppetebant, quæ* Thomas Corcellæus *optime*

 enar-

enarravit? imo ut idem Corcellæus *demonſtravit, Sacrum Concilium quo maxime ſupra Pontificem Conciliorum evecta eſt auctoritas, damnavit inſanam ſententiam, quæ Reges Regnis ſubjiceret, non Regna Regibus. Adeo conſtabat ratione diverſiſſima conſtitutas humanam ac divinam civitatem.* Itaque hæc, quæ creandæ invidiæ objiciuntur, omittamus. *Eccleſiæ a Deo conſtitutæ & gubernatæ regimen, non ex mundani Regni ratione, ſed ex Dei revelatione, atque ipſius Eccleſiæ Decretis, ex Patrum traditione æſtimemus.*

Octoginta fere ante *Boſſuetum* annis idem argumentum in ſe a *Perronio* Cardinale evibratum disjecerat *Richerius*, allata in medium eadem Reſponſione *Thomæ Corcellæi*, quam modo audivimus. Legatur ejus Apologia adverſus *Duvallium* Libro 1. cap. 2. ubi recte ait (a), *collectionem* Perronii *facto diſcrimine cauſarum eſſentialium utriuſque poteſtatis, in auras mox evaneſcere*.

Sed juvat *Boſſueto* ſubjungere *Fleurium*, qui in Diſſertatione *De Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ*, poſt medium ita diſſerit (b): *Aliqui Politici voluerunt infamia adſpergere hanc doctrinam de ſuperioritate Concilii, comparantes Concilium cum Generalibus Regni Conventibus, quorum prætenſiones notum eſt eo ſpectaſſe, ut ſibi gubernandi auctoritatem minime convenientem adrogarent. Et hinc potiſſimum conflata invidia eſt Doctori* Richerio, *qui Ligæ impenſius faverat, quique revera longius provexerat prætenſam Ariſtocratiam in Eccleſia. Sed debentne ex ſimplici comparatione tanta tamque gravia decretorie judicari? Ubi, quæſo, invenitur, Eccleſiam & Rempublicam regulis iiſdem eſſe regendam. Quo in loco Veteris aut Novi Teſtamenti id Deus revelavit? Aliunde vero ſimilitudo inter Concilium Generale & Generales Regni Conventus omnino in principio peccat: cum Regni Conventus nihil aliud umquam legitime per ſe tulerint, quam modum quendam repræſentationis immediate poſt Regem: contra Concilium Generale in ſpiritualibus auctoritate gaudeat legitima in omnes fideles.*

Quod

(a) Richer. Tom. 1. p. 38. (b) *Fleurius* p. 440. & ſeqq.

Quod hic de *Richerio* ſcribit *Fleurius*, de eo conſulendus omnino *Richerius* ipſe in loco ſuperius laudato; tum Scholiaſtes *Fleurii*; tum *Racinius* Tomo x. Art. iv. §. viii.

CAPUT VIII.

Poſtremum caput accuſationis diluitur, cui inſtituendo occaſionem dedit Verſio Italica Tentaminis Theologici, *Luſitana verba peſſime reddens*.

AD quintum & poſtremum caput Romanæ Cenſuræ ventum eſt, quod in eo conſiſtit, quod Romano Pontifici coactivam juriſdictionem negaſſe, proindeque ſchiſmatis viam aperuiſſe videor Romano Anonymo (a): qui quo ſtudio eſt in Apoſtolicam Sedem animatus, ſeptuaginta & amplius paginas implet accuſatione ſua inſtruenda, probanda, & amplificanda. Producit ad convincendum me utrumque Teſtamentum: producit Patres: producit Theologos Catholicos: producit & hereticos. Auguſtinum adverſus Donatiſtas diſputantem audire mihi videor. Tanta in augumentando vis emicat!

Sed quibus inſtrumentis tantam cauſam inſtruit Romanus Anonymus? quibus teſtimoniis probat tantum crimen? Nempe uno eo Dedicationis meæ loco, quem ſic vertit interpres Venetus. *A queſti due punti ſi riduce in fatti tutta la diſciplina: cioè che i Papi debbono dirigere e ordinare tutto ſecondo i Canoni, e non comandare; e li Veſcovi pure aſſoggettarſi e regolarſi ſecondo i Canoni, e non ubbidire*. Hoc eſt Latine: *Ad duo hæc capita reducitur tota diſciplina: nempe quod Pontifices cuncta debent dirigere & ordinare ſecundum Canones, & nihil imperare: & quod Epiſcopi ſimiliter debent ſe ſubjicere & regulari ſecundum Canones, & non obedire*. Grande crimen, fateor, & quod a ſchiſmate excuſari non poteſt.

(a) Anonym. a pag. 250. ad pag. 326.

At qui paullo poſt in eadem Dedicatione ſcripſit & profeſſus fuit, *Romani Pontificis in controverſiis de Fide & Diſciplina præcipuum eſſe judicium*: qui paullo poſt in eadem Dedicatione ſcripſit & profeſſus fuit, *poſſe Romanum Pontificem leges ferre & promulgare pro tota Eccleſia*: qui e veſtigio ſcripſit & profeſſus fuit, *poſſe Romanum Pontificem abrogare & reſcindere, quidquid legum & Conſtitutionum Epiſcopalium Canonibus generatim receptis adverſum & contrarium inveniatur*: qui fieri poterat, ut ipſe paullo ante negarit, poſſe Summos Pontifices aliquid præcipere, aut debere præcipientibus Pontificibus obedire Epiſcopos?

Ubi ergo plane oſtendero, me non ſcripſiſſe, ac ne cogitaſſe quidem id, quod mihi ex fide Venetæ Verſionis imputat Romanus Anonymus; ſalva omnino eſt Romani Pontificis auctoritas legiſlativa, ejuſque, ut vocant, juriſdictio coactiva; evaneſcit propterea objectum crimen; evaneſcit tanto verborum apparatu inſtituta accuſatio.

Atqui verba mea prout Luſitanice edita a me ſunt, hæc omnino ſunt: *Eſtes são os dous eixos de toda a Diſciplina: regular-ſe o Papa pelos Canones no mandar; e regularem-ſe os Biſpos pelos Canones no obedecer*. Quæ Latine ſic verti debent: *Duo hi axes ſunt totius Diſciplinæ: ut Papa Canonibus regatur in præcipiendo, atque Epiſcopi Canonibus regantur in obtemperando*. Ubinam hic ſchiſma? ubinam negata Papæ juriſdictio coactiva? ſed res ita ſe habet, prout jam in Prolegomenis adnotavi. Venetus interpres Luſitanæ linguæ non ſatis gnarus, putavit voculam illam *no* (quæ apud nos eſt propoſitio loci) Luſitanis eſſe adverbium negandi, quemadmodum Hiſpanis eſt *nò*, Italis & Latinis *non*. Pro eo igitur quod ego Luſitanice ſcripſeram, *no mandar*, hoc eſt, *in præcipiendo*; vertit interpres, *non comandare*, quaſi ego ſcripſiſſem, *não mandar*. Pro eo ſimiliter, quod ego Luſitanice ſcripſeram, *no obedecer*, hoc eſt Latine, *in obtemperando*; vertit ille *non ubbidire*; quaſi ego ſcripſiſſem, *não obedecer*.

His notatis planiſſimum jam fit, ſtramineo nixum fundamento mihi imputaſſe Romanum Anonymum crimen

men rebellionis & ſchiſmatis in Summum Pontificem; funditusque proinde corruere, quidquid ille ex Scripturis & Patribus; quidquid ex *Marca*, *Dupino*, *Boſſueto*, *Natale Alexandro*, Facultate Pariſienſi; quidquid ex humilitate & pœnitentia *Theodoſii Magni*; quidquid denique ex duobus gladiis *Bernardi* fuſe rhetoricatur. Omnia enim vel extra rem adducuntur, vel hujuſmodi ſunt, de quibus apte dici poſſit id, quod de Innocentio III. Pontificiam majeſtatem allegoriis e Sacra Scriptura petitis æſtimante, ſcribit *Fleurius* in Quarta Diſſertatione in Hiſtoriam Eccleſiaſticam (a): *Duobus Luminaribus, uno majori, altero minori, Pontificiam & Regiam dignitatem ſignificari contendit Innocentius. Quaſi nimirum liceret in ſeria Diſputatione principii loco allegoriam adſumere, quam negare refutare eſt.*

Neque credat quis tamen propterea eſſe hic omnia caſtigata, omnia probanda, etiam qua parte doctrinam meam non lædunt. Adſuetus *Bellarmini* Libris, *Bellarmini* ratiociniis plerumque utitur Romanus Anonymus ad demonſtrandam in Pontifice indirectam poteſtatem in ipſa temporalia. Quæ poteſtas quoniam centies poſt *Bellarminum* adſerta a Romanis, centies proſtrata fuit poſt *Sarpium* & *Barclajum* a Tranſalpinis noſtris: nullam hic ſpecialem impugnationem poſtulat a me, qui in Libello *De Suprema Regum etiam in Clericos Poteſtate* argumentum hoc late tractavit.

Neque vox ipſa *vis coactiva & juriſdictio coactiva*, quam Eccleſiaſticis Paſtoribus adtribuit Romanus Theologus, doctiſſimis Catholicorum Regum Procuratoribus videbitur ad veritatis regulas omnino exacta. Notum e *Richerio* eſt, celeberrimum *Servinum* vehementer interceſſiſſe Cenſuræ Pariſienſis Facultatis in hanc Propoſitionem Archiepiſcopi Spalatenſis: *Qui de Republica Eccleſiaſtica ſicut de pene humana philoſophantur, mihi videntur a recto tramite aberrare; non modo quia in ea requirunt veram juriſdictionem, hoc eſt, vim coactivam & ſubjectionem externam; ubi tamen omnis gloria ejus ab intus*

(a) *Fleur.* p. 156.

intus. Notum e *Fleurio* (a); ignorantiæ datum noſtris temporibus eidem Facultati Pariſienſi, quod ſub Joanne XXII. damnavit alteram hanc *Marſilii de Padua* poſitionem in ſe veriſſimam: *Neque Papa*, *neque tota Eccleſia congregata punire poteſt pœna coactiva quemlibet peccatorem etiam flagitioſiſſimum*, *niſi ab Imperatore ejuſmodi poteſtatem obtineat*. Nota adſertio illa *Gilberti Voiſinii* apud Pariſienſem Curiam Generalis Procuratoris anno MCCXXX. (b) *Eccleſiæ ex ſeſe nullam competere vel poteſtatem coactivam*, *vel juriſdictionem exteriorem & proprie dictam*.

Neque quia coactionem *ſpiritualem* a coactione *corporea* diſtinguit Romanus Anonymus, ejus doctrina ſe probabit nupero Juris Publici, eidemque doctiſſimo Scriptori *Realio*, quem legat qui velit Tom.VII.cap.II. *De Regimine Eccleſiaſtico*, a Numero 58. ad Num. 80.

DIS-

(a) *Fleur.* Diſſert. VIII. *de Juriſdict.* pag. 300.
(b) *Catbech. Hiſtor.* Tom. III. pag. 128.

DISSERTATIO III.

Quæ tota verſatur in vindicandis iis, quas Romanus Anonymus Confuſiones *vocat.*

CAPUT I.

An ad maledicentiam referri debeat, quod ego abuſus quoſdam Romanorum Pontificum ex Bernardo *aliiſque Catholicis piiſſimiſque Scriptoribus evulgavi.*
Quam indigne ab Anonymo Romano habitus Gerſon.
Huic concinunt Ivo Carnotenſis *&* Bernardus Claravallenſis.

DEpulſa e Libro meo hæreſeos ignominia, abſterſaque ſchiſmatis labe; venio jam ad vindicandas eas, quas Romanus Anonymus in Tertia Diſſertatione ſua *Confuſiones* meas vocat, & quas ille longa ſerie proſequitur.

Prima confuſio eſt (a), *quod Papalis poteſtatis abuſus quoſdam operoſe collegi partim ex hominibus malignis & arrogantibus, qui Pontificum geſta male notarunt; partim ex aliquibus Sanctis, maxime vero ex Bernardo*. Confuſionem autem maledicus Cenſor in eo ponit, quod non præviderim primo: Libros *de Conſideratione* ſcripſiſſe *Bernardum* rogatu ipſius Eugenii III. Diſcipuli olim ſui, non eo fine ut evulgarentur, ſed ut Eugenio ipſi privatim inſtruendo inſervirent. Secundo: a temporibus Apoſtolorum non defuiſſe in Eccleſia, qui Primatui oblatrarent: ut Diotrephes ille, de quo ſcribit *Joannes* in Epiſtula III. *Qui amat primatum gerere in eis Diotrephes, non recipit nos, verbis malignis garriens in nos*. Nihil mirum proinde, *quod ſimiliter in Primatum gar-*

(a) Anonym. p. 326. & ſeq.

garriret Gerſon, *& poſt* Gerſonem *garriunt tam multi alii*. Tertio: ſi ex abuſibus quorundam Pontificum deneganda omnibus Pontificibus eſt ſuprema & abſoluta Monarchia; pari ratione ex abuſibus aliquorum Regum denegandam omnibus Regibus ſupremam & nemini obnoxiam poteſtatem.

Quod ad primum illud pertinet, quæro ab Anonymo: quinam illi ſint *maligni & arrogantes homines, qui Pontificum geſta male notarunt*. Nullos ego quidem in toto *Tentamine* produxiſſe me memini, quam *Polycratem Epheſinum*, *Cyprianum Carthaginenſem*, Patres Africanos quinti ſæculi, Gallicanos noni & undecimi; *Ivonem Carnotenſem*; *Joannem Sarisberienſem*, *Arnulphum Lexovienſem*, *Hildebertum Cenomanenſem*; *Bernardum Claravallenſem*, *Robertum Lincolnienſem*, *Durandum Mimatenſem*, *Franciſcum Zabarellam*, *Petrum Alliacenſem*, *Joannem Gerſonem*, *Æneam Silvium*, *Antonium de Roſellis*, *Abbatem Panormitanum*, *Joannem de Segovia*, *Andream Scobarium*, *Nicolaum Cuſanum*, *Jacobum de Paradiſo*, *Joannem Majorem*; *Patres Conſtantienſes & Baſilienſes*, *Academias Cracovienſem & Colonienſem*. Hos omnes abuſum Papalis poteſtatis vel propulſantes vel reprehendentes, ego in primo & quinto Principio adlegavi. Hæreticos Scriptores ne nominavi quidem ullos. Edicat igitur Romanus Anonymus, quinam ex iſtis *maligni* fuerint *& arrogantes?* quinam *geſta Pontificum male notarint?*

Polycratem, credo, *Cyprianum*, *Ivonem*, *Hildebertum*, *Arnulphum*, Sanctis adnumerare cum *Bernardo* non dubitat Romanus Cenſor. Ceteros ergo ad claſſem *garrientium* cum *Gerſone* rejicit. Hi ergo omnes pro malignis & arrogantibus habendi. At ſi maligni & arrogantes habendi *Robertus Lincolnienſis*, *Durandus Mimatenſis*, *Zabarella*, *Alliacenſis*, *Gerſon*, *Cuſanus*, & ceteri, propterea, quod vel Papalis auctoritatis abuſus deplorarunt, vel iis modum imponi deſiderarunt: nemo malignior *Ivone*, nemo arrogantior *Bernardo* credendus eſt. Quid enim dici poteſt, quod Romanos Pontifices magis pungat, quam illud *Ivonis* in epiſtula LX. *Hoc vellem cum multis mecum pie ſentientibus, ut Romanæ*

Ec-

Eccleſiæ Miniſtri tamquam probati medici majoribus morbis intenderent, & non ab irriſoribus ſuis audirent: culicem excolantes, et camelum glutientes. Miniſtri, inquis, non ipſi Pontifices. At occaſione vexatiſſimæ quæſtionis de Inveſtituris Eccleſiarum a laico Principe non accipiendis, hæc ſcribebat *Ivo*: quam quæſtionem non Miniſtri Eccleſiæ Romanæ, ſed ipſi Romani Pontifices decidebant plenariis Synodis. Rurſus idem *Ivo* in epiſtula cix. ad Paſchalem Secundum: *Cum a latere veſtro mittitis ad nos Cardinales veſtros tamquam filios uterinos; quia in tranſitu apud nos ſunt, non tantum non poſſunt curanda curare, ſed nec curanda proſpicere. Inde eſt, quod multi Præpoſitorum ſacta gladio linguæ ferire cupientes dicunt*, Sedem Apostolicam non subditorum quærere sanitatem, sed suam aut Lateralium suorum quærere commoditatem.

Quid item exarari poteſt, quo Romanorum Pontificum geſta aculeatius notentur, quam quod ad Henricum Archiepiſcopum Senonenſem ſcribit *Bernardus*, in epiſtula xlii. *Hujus rei gratia non pigritantur crebro terere limina Apoſtolorum, inventuri & ibi (quod magis dolendum eſt) qui ſuæ faveant improbæ voluntati: Non quod valde Romani curent, quo fine res terminetur; ſed quod valde diligunt munera, ſequuntur retributiones. Nude nuda loquor, nec retego verenda, ſed inverecunda confuto. Utinam privatim & in cameris iſta fierent: utinam ſoli viderimus & audierimus: utinam ne loquentibus crederetur:* utinam nobis reliquerint moderni Noæ, unde a nobis possent aliquatenus operiri. *Nunc vero cernente orbe mundi fabulam, ſoli tacebimus?* Hic *moderni Noæ* non alii, credo, ſignificantur a *Bernardo*, quam moderni Pontifices. Neque alia hic illæ Romanæ Curiæ vitia carpit, quam quæ totus orbis cernat, totus orbis culpet.

At Libros ad Eugenium non eo fine ſcribebat *Bernardus*, ut evulgarentur. Quid ad me? Culpandi tibi ſoli ſunt, qui illos a Typographis in lucem edendos curarunt variis in locis: ut Pariſiis *Jodocus Clichtoveus* & *Joannes Mabillonius*; Romæ *Antonius Caraſa Cardi-*

na-

nalis, & *Gerardus Voſſius*; Lugduni *Rotomagi*, *Spiræ*, *Venetiis*, alii atque alii.

Quis autem ferat *garrulum* ab Anonymo Romano (a) dici *Gerſonem*, quo neminem poſt *Bernardum* majori judicio de rebus Theologicis diſſeruiſſe adfirmat *Dupinus*? Quis ferat non *garrulum* ſolum dici, ſed etiam *fanaticum* eum, quo nullus fanaticis acrius bellum intulit? *fanaticum* eum, cui tota Gallia ſpectante, dedicatum Oratorium, dedicata Effigies, Sanctique & Beati viri honores ſunt habiti ſæculo xv. & xvi. *Fanaticum* eum, qui ut Legatus Regis Chriſtianiſſimi, ut Legatus Provinciæ Senonenſis, ut Legatus Academiæ Pariſienſis, totam fere Galliam figuravit in Conſtantienſi Generali Synodo? Sed *Gerſoni* ea gloria ſatis fuerit, neminem unquam toti Catholicæ Eccleſiæ ſynodice congregatæ oblatraſſe, qui non & ipſi *Gerſoni* oblatrarit.

Jam quod Romanus Theologaſter addit, eodem modo ratiocinandum de abuſibus poteſtatis Regiæ, ac de abuſibus Papalis poteſtatis: jam ſupra eſt demonſtratum, non una eademque ratione conſtitutas Rempublicam & Eccleſiam voluiſſe Chriſtum, qui in Evangelio aperte dicit: *Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non ſic*: quique ad Petrum non minus, quam ad ceteros Apoſtolos dixit: *Si te non audierit, dic Eccleſiæ*. Non una eademque ratione conſtitutas a Chriſto Rempublicam & Eccleſiam credidiſſe Veteres Patres: qui cum Reges omnes ſoli Deo obnoxios, a ſolo Deo judicandos paſſim docuiſſent; ubi tamen de ſpirituali poteſtate agebatur, Summos Pontifices Eccleſiæ Matri, ejuſque Plenariis Conciliis non minus luculenter ſubdidere. Non credidiſſe Conſtantienſem Synodum, quæ cum Seſſione VIII. damnaſſet propoſitionem Wicleffi, *Populares poſſunt ad arbitrium ſuum Principes delinquentes corrigere*: Seſſione tamen V. definivit, Decretis cujuſcumque Concilii Generalis obtemperare debere ipſos Romanos Pontifices.

CA-

(a) Anonym. p. 243. & 381.

CAPUT II.

De ſecunda, tertia, & quarta confuſione agitur, mihi ab Romano Anonymo imputata.
Confuſi mecum Alliacenſis, Gerſon, Zabarella, Boſſuetus, Launojus, Dupinus.
Diſcrimen utriuſque poteſtatis ex Evangelio, Gregorio Turonenſi, *& Conſtantienſi Synodo.*
Anonymi ineptæ & inanes evaſiones.

Secunda confuſio Romano Anonymo eſt (a), quod *Launojum* ſecutus multa Veterum Pontificum Romanorum teſtimonia collegi, in quibus illi ſeſe Generalium Conciliorum Legibus ac Decretis obnoxios profeſſi ſunt: quo ſpectabat & jusjurandum illud, in die conſecrationis ſuæ fieri ſolitum ab iiſdem Pontificibus, de amuſſim obſervandis antiquis & receptis Canonibus.

Nihil ex tot monumentis concludi poſſe adverſus abſolutam Papæ Monarchiam, inde concludit acutus Cenſor; quod Legibus etiam ſuis teneri ſe in *Juſtinianeo* Codice ſæpe profiteantur Romani Imperatores: quodque ad obſervandas Regni ſui Leges interpoſito ſacramento ſe obſtringere ſoleant Reges & Principes alii. Quo illud refert e *Barbeyrachio*: *Hoc feliciter imponentes ſunt Reges, quod nihil valent adverſus Leges Regni.*

Falſus ergo tu & confuſus fuiſti, *Petre Alliacenſis*, dum in Tractatu *de Auctoritate Eccleſiæ, Concilii Generalis, & Romani Pontificis*, Parte III. cap. I. perſuadere toti Conſtantienſi Concilio conatus es (b): *Quod licet Papalis dignitas a Deo ſit, unde ab homine nec major nec minor fieri poteſt; tamen uſus plenitudinis poteſtatis, ad excludendum abuſum, poteſt Concilii Generalis auctoritate reſtringi.* Ideo antiquo jure constitutum est, quod Papa professionem faceret, ut patet ex Libro Diurno, &c.

Falſus tu & confuſus fuiſti, *Joannes Gerſon*, dum in Li-

N

(a) Anonym. p. 332. & ſeq. (b) *Gerſon* Tom. II. p. 945. & ſeq.

Libro *de Auſeribilitate Papæ*, Conſid. XII. ita argumentaris (a): *Quanto fortius & rationabilius poſſunt duo contendentes diffamati apud bonos & graves de ſchiſmate, de perjurio, de hæreſis ſuſpicione, compelli rationem reddere, ſi ſe cognoverint innocentes. Sic* Symmachus, *ſic* Marcellinus, *ſic ipſe* Gregorius, *ſic alii plures judicium ſubiere Concilii; nequaquam ex humili condeſcenſione, ſicut fingunt aliqui, ſed ex debito & obligatione.*

Falſus tu & confuſus fuiſti, *Franciſce Zabarella*, dum in Libro *de Schiſmate* recentiorum Pontificum abuſus ita deploraſti (b): *Mos inter antiquos obtinuit, quod omnia difficilia per Concilium terminabantur, & crebro fiebant. Poſtea vero quidam Summi Pontifices*, QUI MAGIS AD MODUM TERRENORUM PRINCIPUM, QUAM APOSTOLORUM ECCLESIAM REXERUNT, *non curarunt facere Concilia: ex qua omiſſione prodierunt multa mala, &c.*

Falſus tu & confuſus fuiſti, magne *Boſſuete* (c), qui ut demonſtrares, Generalium Conciliorum Legibus & Canonibus ſubjacere Romanos Pontifices; ipſum *Alliacenſem*, ipſum *Gerſonem*, ipſum *Zabarellam* exſcripſiſti: Qui *Zoſimi*, *Gelaſii*, *Martini*, *Leonis*, & aliorum Pontificum teſtimonia eandem in rem operoſe collegiſti: Qui eodem fine antiquam Profeſſionem Libro Diurno contentam adlegaſti: Qui quod tradiderat *Gratianus* 25. quæſt. 2. cap. *Si ergo*: Romanos Pontifices eſſe *Decretorum Dominos*: neque aliter Canonibus ſe ſubmittere, quam legi de ſabbato ſe ſubmiſit Chriſtus legis Dominus: *novam & inauditam interpretationem vocaſti*: Qui *Charlaſio* adverſario crimini dediſti, *quod diſſimulaſſet locos innumerabiles, quibus ipſi Romani Pontifices adverſus Canones ſe nihil poſſe prædicant.*

Falſus tu & confuſus fuiſti, *Joannes Launoi* (d), qui maximam partem epiſtularum tuarum deſcribendis Veterum Pontificum teſtimoniis impleviſti; quibus notum fieret, Eccleſiam non Pontificum arbitrio, ſed Conciliorum regi Canonibus. Fal-

(a) *Gerſon* Tom. II. p. 216.
(b) *Zabarella* p. 559.
(c) *Boſſuet.* Lib. IX. cap. 12. & 31. & Lib. XI. cap. 3. 6. 8. & 20.
(d) *Laun.* lib. 1. epiſt. 8. lib. 11. epiſt. 3. & alibi paſſim.

Falſus tu denique & confuſus fuiſti, *Ludovice Dupine*, qui Diſſertatione vi. §. 111. oſtendendum ſuſcepiſti ex ipſa confeſſione antiquorum Prædeceſſorum (a), *Pontificem Romanum Concilii Legibus teneri, nec poſſe illas pro libito irritare, aut immutare; quamvis poſſit ab iis ſapienter diſpenſare in eo caſu, quo Concilium diſpenſaret.*

Adverſus vos omnes contendit Theologus Pontificius, nihil ejuſmodi teſtimoniis confici adverſus Papalem Monarchiam; quandoquidem paria de ſe profitentur ingenue ipſi Imperatores, ipſi Monarchæ Sæculares. Contendit eodem modo impotentes dicendos ac judicandos eſſe Romanos Pontifices reſpectu Canonum Eccleſiaſticorum, ac Reges & Principes Supremos reſpectu legum humanarum; quandoquidem apud *Barbeyrachum* dixit Gallus quidam, probante *Ludovico Magno*: *Hoc feliciter impotentes eſſe Reges, quod nihil ipſi valent adverſus Leges ſuorum Regnorum*. Quaſi erudito cuivis notum atque exploratum non ſit diſcrimen illud utriuſque poteſtatis, quod ex ſenſu antiquorum omnium ſignificavit ſæculo ſexto (b) *Gregorius Turonenſis*, cum ita Gallorum Regem eſt adlocutus: *Si quis de nobis, o Rex, juſtitiæ tramitem tranſcendere voluerit, a te corrigi poteſt: ſi vero tu exceſſeris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, ſed ſi volueris, audis; ſi autem nolueris, quis te condemnabit, niſi is qui ſe pronuntiavit eſſe juſtitiam?* Nempe Regem in temporalibus ſoli Deo; Pontificem vero ſeu Epiſcopum in ſpiritualibus & Deo & Regi, ſeu & Deo & Eccleſiæ ſubdi, agnovit tota antiquitas Chriſtiana.

Ægre fert Romanus Anonymus (c) urgeri a me adverſus abuſum Papalis poteſtatis exempla Aſianorum ſub *Polycrate* Epheſino: Africanorum & Cappadocum ſub *Cypriano* Carthaginenſi & *Firmiliano* Cæſarienſi. Ægre fert urgeri a me contra cæcam obedientiam, quam Pontificiis juſſis ac definitionibus præſtari vult, dicta

(a) *Dupin*. p. 392. & ſeq.
(b) *Turon*.lib.v.*Hiſt.Franc*.cap.19.
(c) Anonym. p. 339. & ſeq.

dicta & geſta aliquorum Sanctorum, quibus religio non fuit Pontificiis decretis obfirmate obloqui. Illam tertiam, hanc quartam confuſionem meam vocat.

Sed ægrius ego fero, quod cum Principio v. a Num. II. ad Numerum VIII. exempla decem luculentiſſima produxiſſem, quibus invicte comprobatur, ex ſententia Veterum Epiſcoporum Aſianorum, Africanorum, & Gallorum, potiorem eſſe Eccleſiæ & Concilii Generalis auctoritatem, quam cujuslibet Romani Pontificis: ceteris omnibus prætermiſſis, duo ille tantummodo commemoravit: nempe *Polycratis* in controverſia de *Paſchate*, & *Cypriani* in controverſia de Rebaptizatione.

Ægrius ego fero, quod cum *Auguſtinus* tum in cauſa Rebaptizationis ſub *Stephano*, tum in cauſa Appellationum ſub *Zoſimo*, tam aperte Concilium Generale prætulerit Romano Pontifici; nullam tamen de *Auguſtino*, nullam de *Aurelio*, nullam de *Alypio*, nullam de ducentis aliis Epiſcopis in Carthaginenſi Quinta Synodo congregatis mentionem fecit Romanus Anonymus.

Ægrius ego fero, quod cum omnia illa exempla ad idem probandum ante me produxiſſent *Boſſuetus*, *Dupinus*, *Fleurius*, & tot alii ex Gallia Scriptores illuſtriſſimi; unum me tamen in adlegandis teſtimoniis illis confuſum dixit Romanus Anonymus.

Ægrius ego fero, quod idem Anonymus omnia hæc teſtimonia & exempla tam gravia, tam decretoria, tam aperta; futiliſſima hac & ineptiſſima reſponſione eludere ſe poſſe exiſtimavit, cum dixit: omnes illas controverſias antiquorum & ſanctorum Epiſcoporum cum Romanis Pontificibus, fuiſſe controverſias de rebus ad diſciplinam ſpectantibus. Ad patientiam & œconomiam Pontificum Romanorum referendum eſſe, quod *Polycratem*, *Cyprianum*, *Firmilianum*, & ceteros ſibi re & verbo obſiſtentes, a ſua communione reipſa non rejecerunt. *Cypriano* etiam dum Papæ *Stephano* repugnabat, numquam in mentem veniſſe negare aut oppugnare ſupremam auctoritatem Romani Primatus, quem ſuis in ſcriptis diſerte ſæpe numero agnovit. Salva Conciliorum

rum Generalium majeſtate, licuiſſe Germanis & Gallis quædam Diſciplinæ capita Tridenti ſtabilita, quod ſuis moribus non convenirent, reſpuere.

Nam quod ad primam exceptionem ſpectat, non vidit Theologus Pontificius, ſi ad Diſciplinam ſpectabat controverſia cum Aſianorum, tum Africanorum; ad Diſciplinam pariter ſpectare Diſpenſationes Matrimoniales, quarum gratia & reſpectu demonſtrandum ſuſcepi Principio v. non potuiſſe a Romanis Pontificibus invitos Epiſcopos ſpoliari auctoritate Diſpenſationum Matrimonialium largiendarum. Dixi, *ſi ad Diſciplinam* ſpectabat: non deſunt enim qui cenſeant, atque ex his Illuſtriſſimus *Boſſuetus* Lib. xiv. cap. vi. & xxiii. (a) utramque diſceptationem, & Aſianorum & Africanorum, circa dogma ipſum fuiſſe verſatam: quod ille non levibus argumentis demonſtrat. Quid, quod nihil vetat, quominus Diſciplina ipſa ad Fidem quoque ſuo ſenſu pertineat? Sit ſane Diſpenſatio & illius uſus res Diſciplinæ: verum ubi quæritur, quis poſſit vel non poſſit diſpenſare; quis poſſit vel non poſſit impedire diſpenſationem; quis dubitet de re Fidei quæſtionem eſſe?

Non minus Romani Anonymi imperitiam oſtendit altera illa exceptio, de patientia & œconomia Pontificum Romanorum erga Aſianos & Africanos. Extra rem enim eſt, quid *Polycratis* & *Cypriani* infractum animum experti fecerint *Victor* & *Stephanus*. Plurimum contra intereſt demonſtrare, quid poſt Decreta & minas *Victoris* ac *Stephani* fecerint *Polycrates* & *Cyprianus*: quid item de *Cypriano Stephani* juſſionibus obloquente & reſiſtente ſenſerit *Auguſtinus*. Ac de *Polycrate* quidem narrat *Euſebius* Libro v. cap. 24. ubi excommunicationis litteræ in Aſiam a *Victore* pervenerunt, nihil his commotum reſcripſiſſe eum, quod jam alibi retulimus: *Ego quinque & ſexaginta annos natus non moveor his, quæ nobis ad formidinem intentantur: qui enim majores me ſunt, dixerunt:* OBEDIRE OPORTET DEO MAGIS QUAM HOMINIBUS. De *Cypriano* autem teſta-

N 3 tur

(a) *Boſſuet.* Tom. ii. p. 264. & 285.

tur *Auguſtinus* Lib. v. *de Baptiſmo* contra Donatiſtas, cap. 23. eum *non ſolum ad iſta non conſenſiſſe*, *verum etiam contra ſcripſiſſe*, *atque præcepiſſe*. Aliis autem in locis non minus luculenter proteſtatur idemmet *Auguſtinus*, licuiſſe *Cypriano* adverſus *Stephanum* ſcribere & præcipere, quoniam nondum per Plenarium Concilium totius Eccleſiæ declarata & eliquata veritas erat. Proteſtatur, neque ſe *tale aliquid auſurum adſerere*, *quale* Stephanus *juſſit*, *niſi Catholicæ Eccleſiæ concordiſſima auctoritate firmatum*.

At *Cyprianus* ipſe, inquit noſter Anonymus, etiam tum cum *Stephani* Decreto repugnabat, Primatem eum totius Eccleſiæ agnoſcebat. Quis hoc negat? Id ipſum ego obſervaram in eodem loco *Tentaminis Theologici*, nempe Principio v. Num. III. Sed inſtat adhuc adverſarius dicens, me verba illa *Cypriani* Collegas adloquentis, *Neque quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe Epiſcoporum conſtituit*, coutra mentem ipſius retuliſſe ad *Stephanum* reprehendendum, cum referri deberent ad ſingulos Collegas officii commonendos. Ego vero a ſententia & interpretatione mea nondum deſiſto, nixus toto contextu orationis, nixus ſuffragio magni *Boſſueti*, qui *Cypriani* verba ad pungendum *Stephanum* pertinere ſimiliter credidit Lib. XIV. cap. IV.

Tertium illud de Gallis & Germanis certas Tridentinæ Synodi Conſtitutiones impune reſpuentibus, æque ineptum eſt. Diverſa enim ratione ab Œcumenica Synodo diſſentiunt Catholicæ Nationes, ac diſſenſere a Decretis Pontificum Romanorum Aſiani & Africani Epiſcopi. Illi ab Œcumenica Synodo diſſentiunt, vel quia exiſtimant, naturale jus propriæ defenſionis & conſervationis omni humano juri prævalere: vel quia nihil juris in re mere temporali Eccleſiaſticis Judicibus ineſſe credunt. Hi contra a Romanis Pontificibus diſſenſere, quia putabant, ſolius Eccleſiæ, aut ſolius Concilii Œcumenici eſſe, ſubortas controverſias ultimo & decretorio judicio definire. *Neque nos*, ajebat Auguſtinus, *tale aliquid auderemus aſſerere*, *quale* Stephanus *juſſit*, *niſi Eccleſiæ Catholicæ concordiſſima auctoritate firmati: cui & ipſe* Cyprianus *ſine dubio cederet*, *ſi jam veritas eliquata & declarata per Plenarium Concilium ſolidaretur*. CA-

CAPUT III.

Quinta & ſexta confuſio mihi objecta evolvitur.
Senſus Evangelici loci, Reges gentium dominantur eorum, &c. *rurſus panditur ex* Chryſoſtomo, Gregorio Magno, Bernardo, Alliacenſi, Gerſone, Polo *Cardinale*, Boſſueto, Dupino, Marca.
Almainus & Marca *Romanis ſubtracti.*
Locus Tentaminis Theologici *a Veneto interprete peſſime verſus.*
Bernardi *locus peſſimo ſenſu objectus.*
Anonymi vana religio & mala fides novis argumentis oſtenſa.

OBjecta mihi quinto loco confuſio in eo ſita eſt, quod prope finem Dedicationis loco illo Evangelii, *Reges gentium dominantur eorum, &c.* uſus ſum ad demonſtrandum, ex inſtitutione Chriſti ingens diſcrimen eſſe inter eccleſiaſticum regimen & mundanum regimen. Qua doctrina quid planius? At ex loco Evangelii, inquit adverſarius (a), nihil elici poteſt, quo plenitudo poteſtatis deprimatur vel imminuatur. Fateor: ergo ſic ſe habeat Papa reſpectu cujuslibet clerici, quemadmodum Rex reſpectu cujuslibet ſæcularis; talis Papa ſit reſpectu Epiſcoporum, qualis Rex quilibet reſpectu ſuorum Magiſtratuum: ſicut Rex coarctare & reſtringere pro libitu poteſt juriſdictionem Senatorum; ita penes Papam jus ſit ad coarctandam & reſtringendam arbitratu ſuo juriſdictionem Epiſcoporum.

Id tu quidem cum Curialibus tuis volebas. Ego vero detrecto cum *Chryſoſtomo*, cujus hæc doctrina eſt Homilia III. in Acta Apoſtolorum: *Erga Principes metus cohibet . . . omniaque lege & mandato peraguntur. Hic vero non item:* NEQUE ENIM LICET EX AUCTORITATE PRÆCIPERE.

Detrecto cum *Gregorio Magno*, qui & in epiſtula ad

(a) Anonym. pag. 378.

Eulogium Decreta ſua *Juſſiones* haberi ab Epiſcopis vetat; & in epiſtula ad *Euſebium Theſſalonicenſem* diſerte adfirmat, *ſi unus univerſalis eſt*, abſurdum illud ſequi, ut alii non ſint Epiſcopi.

Detrecto cum *Bernardo*, qui ex iiſdem verbis Chriſti ſic argumentatur: *Ne dictum ſola humilitate putes, non etiam veritate; vox Domini eſt in Evangelio:* Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic. *Planum eſt, Apoſtolis interdicitur dominatus*. Et rurſus eodem in loco ad eundem *Eugenium*: *Diſce exemplo prophetico præſidere non tam ad imperitandum, quam ad factitandum, quod tempus requirit. Diſce ſarculo tibi opus eſſe, non ſceptro, ut opus facias Prophetæ: & quidem ille non regnaturus aſcendit, ſed exſtirpaturus*.

Detrecto cum *Alliacenſi*, qui ex iiſdem Chriſti verbis deducit, *Quod Papa proprie loquendo eſt miniſter, hanc poteſtatem ſubjective recipiens, & adminiſtrative diſpenſans; ita ut ſi hac poteſtate utatur ad deſtructionem Eccleſiæ, Concilium Generale abuſum hujuſmodi poteſtatis coerceat, regulet, & dirigat*.

Detrecto cum *Gerſone*, qui omnem quidem ſtatum Eccleſiaſticum docet *ſubeſſe rationabili voluntati Papæ; ſed hanc rationabilitatem regulandam eſſe per determinationes Conciliorum Generalium*.

Detrecto cum Cardinale *Polo*, qui in Tractatu *De Concilio ad Legatos Sedis Apoſtolicæ Tridenti*, Quæſt. VI. ita ex iiſdem verbis Chriſti concludit: *Statum Eccleſiæ eſſe quidem unius Principis ſtatum, quem Græci Monarchiam vocant; non tamen unius hominis imperantis, quales ſunt Monarchiæ ab hominibus inſtitutæ; ſed unius Dei & hominis, qui eſt Chriſtus Dominus omnium noſtrum, quem Deus Pater poſuit caput ſuper omnem Eccleſiam, in qua ipſe Paſtores, & Rectores poſuit qui eam regerent & paſcerent nomine ejus, non ſuo ipſorum, ut in Oligarchia humana fit, atque etiam in Regio ſtatu*.

Detrecto cum Epiſcopo *Boſſueto*, cui cum objeciſſet Charlaſius (a), *In regimine Monarchico Supremus Princeps*

(a) *Boſſuet.* Lib. III. cap. XV. Tom. II. p. 242.

ceps officia aliis etiam Principibus diſtribuit, ac juriſdictionem confert, ſic reſpondet: *Demonſtrandum erat, Eccleſiaſticam Monarchiam ſub Chriſto præcipuo Monarcha conſtitutam, ad formam Monarchiæ ſæcularis penitus inſtitutam eſſe*, QUOD EST FALSISSIMUM. *Id, inquam, ſcripturis & traditione demonſtrandum; non ex proprio cerebro, vaniſque ratiocinationibus Chriſtianæ Reipublicæ forma effingenda erat.*

Detrecto cum *Ludovico Dupino*, qui in Diſſertatione IV. *De Primatu Romani Pontificis*, cap. I. §. 3. ſic mentem ſuam aperit (a): *His de* Petri *Primatu præmiſſis, in illa diſputatione celebri de ejus Monarchia, non hæreo. Nam ſi Monarcha dicitur is, qui primum obtinet locum, qui Primatum inter alios tenet; haud dubium eſt, Petrum hoc ſenſu fuiſſe Monarcham. Si vero Monarchia ſumatur pro auctoritate abſoluta, necnon pro dominatu, cui nullus ſeſe poteſt opponere; nego Petrum hoc ſenſu Eccleſiæ Monarcham fuiſſe. Hanc etenim Monarchiam a ſe & ſuis rejicit Chriſtus, cum ait:* Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic.

Detrecto cum *Petro de Marca*, qui Libro II. *De Concordia* cap. XVI. Num. VI. in hunc modum diſſerit (b): *Chriſtus ipſe diſcrimen utriuſque poteſtatis in præceptis dandis auctoritate ſua conſtituit.* Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur; vos autem non ſic, *inquit ille apud* Matthæum & Lucam. *His verbis de legitima Regum auctoritate Chriſtus agit, non vero de tyrannica, cum de iis Regibus loquatur*, qui benefici a populis dicerentur. *In eo autem diſcrimen verſatur, quod Regibus ſummo imperio multa peragere liberum ſit, quam effuſam licentiam ſuis Apoſtolis Chriſtus adimit; ita ut verus dominatus ſit penes Reges, non autem penes Sacerdotes; quorum poteſtas non eſt deſpotica, ſed temperata, & ad populorum uſum accommodata; ita ut Monarchia Eccleſiaſtica ex ariſtocratico regimine ſit commixta; contra quam accidit in pleriſque Regnis, quæ jure optimo a Principibus poſſi-*

(a) *Dupin.* p. 322. (b) *Marca* p. 72. edit. Roboret. 1763.

poſſidentur. Et rurſus Num.VII. *Si non jure ordinario, ſed ſummo jure agere velint Principes; & earum Conſtitutionum executionem urgere quæ de jure dubio feruntur, & ab invitis civibus obſequium extorquere poſſunt, ſine ulla tyrannici imperii exprobatione. Etſi enim dura ſint aliquando Regum imperia, modus ille imperandi & parendi id exigit, ut ſubditi dominorum mandatis cedant, quemadmodum Apoſtoli diſertiſſime docuerunt. Sed in Legibus Eccleſiaſticis, quæ jus naturale aut divinum non exequuntur, ſummum illud imperium locum non habet.*

Quo Illuſtriſſimi *Marcæ* teſtimonio duo inſuper edocemur: primum, diſcrimen duplicis poteſtatis a Chriſto ſignificatum non conſiſtere in eo præciſe, quod politicum regimen durum ſit, Eccleſiaſticum vero lene, quemadmodum perſuadere Lectoribus conatur Romanus Anonymus (a): ſed differre potiſſimum in ipſa forma, in ipſoque temperamento gubernandi. Alterum: quod ſcripſerat idem *Marca* Lib. I. cap.XI. *Principem legibus ſolutum eo ſenſu, ut etſi in leges impingat, pœnis legum coerceri non poſſit, communis eſt Theologorum & Juriſtarum ſententia: in hunc quoque dignitatis gradum aſcitum fuiſſe Romanum Pontificem, Galliarum Reges & Epiſcopi una cum ceteris ſæpiſſime cenſuerunt*. Quod, inquam, hoc in loco ſcripſerat *Marca*, id illud non eo ſenſu ſcripſiſſe, quo contendit Romanus Theologus (b); ut non minus abſolutus ac deſpoticus in ſpiritualibus cenſendus ſit Romanus Pontifex, quam Rex in temporalibus. Non ſolum enim Libro II. cap. XVI. latum diſcrimen ponit Illuſtriſſimus Antiſtes inter Monarchiam utriuſque: verum etiam Libro III. cap. VIII. diſerte probat ex Decreto Florentinæ Synodi (c), *ſummam & plenam adminiſtrandæ Eccleſiæ poteſtatem a Chriſto fuiſſe Pontifici traditam ea lege, ut ea utatur juxta modum, qui & in Actis Conciliorum Œcumenicorum, & in Canonibus continetur*.

Sextam confuſionem meam his verbis deſcribit Romanus

(a) Anonym. p. 316. & ſeq.
(b) Anonym. p. 338.
(c) *Marca* ibid. p. 96.

manus Anonymus. *Confuſio ſexta. Ad probandum Decretum Gratiani Collectionem quandam eſſe, quæ quia facta ſola auctoritate Benedictini Monachi, nullam fidem meretur; adducit ille primum locum quendam Decreti, & ita inquit:* Ut ſpecimen aliquod exhibeatur hujus Decreti, videatur caput *Nunc autem*, ubi refertur celebre Axioma, *Prima ſedes non judicatur a quoquam*, quod deſumptum ex ſuppoſititia Sinueſſana Synodo ore & ſcriptis Canoniſtarum celebratur, tamquam definitio quædam dogmatica.

Breviter reſpondeo: nihil tale ego probandum ſuſcepi, nihil tale ſcripſi in *Tentamine Theologico*. Commenta & additiones illæ ſunt interpretis Veneti, quarum ne veſtigium quidem extat in editione Luſitana, quæ Latine ad verbum expreſſa ſic habet Principio 1. Num. XIII. *Quæ Collectio cum a ſimplici Monacho Benedictino, quantumvis erudito, privata auctoritate fuiſſet adornata: cum ſpuriis Decretalibus fictiſque Conciliis referta eſſet: referta item teſtimoniis peſſime intellectis . . . ea tamen fuit temporum barbaries, ea auctoritas Academiæ Bononienſis, ubi ſummo in pretio haberi mox cœpit; ut lento gradu ad id tandem dignitatis faſtigium fuerit evecta, ubi tamquam Corpus quoddam Juris Publici, ſive tamquam Authenticum Promptuarium Canonum Eccleſiaſticorum haberetur ipſum Decretum, ab illoque proinde mutuarentur Canoniſtæ, quidquid e Conciliis & Patribus citatum ab illis invenias totos quingentos annos.* Et mox Numero ſequenti: *Ex hoc igitur Decreto prodiit caput*, Nunc autem, *& inde celebratiſſimum illud Axioma*, Prima ſedes non judicatur a quoquam: *quod quamvis deſumptum ſit de fictitio Concilio Sinueſſano, in ore tamen eſt omnibus Canoniſtis, tamquam Definitio quædam dogmatica.* Quid hic, quæſo, confuſum? quid non planum? quid non exactum? Planius certe aut exactius de Gratiani Decreto non diſſeruit ſummus ille Criticus *Fleurius*, in quarta Diſſertatione ſua in Hiſtoriam Eccleſiaſticam.

Sed inquit Anonymus: videre debebat Pater *Pereria*, non ex ſola fictitia Synodo Sinueſſana, ſed ex indubitatis aliis haberi, Primam ſedem nullius judicio in terris ſubjacere. Vidi; ſed cum propoſitum mihi eſſet in-

indicare; unde Axioma illud, *Prima ſedes non judicatur a quoquam*, initium habuiſſet apud Canoniſtas; caput *Nunc autem* indicavi ex Decreto Gratiani, ubi ex ſola Sinueſſana Synodo Axioma illud laudatur; & unde deſumere Canoniſtæ ſolebant, quidquid vel de Conciliis vel de Patribus producendum erat, ex quo illud in Scholas invaſit.

Videre debebat, capitis illius *Nunc autem* non *Gratianum* Auctorem eſſe, ſed Nicolaum Papam. Vidi: & propterea caput illud ita indicavi, ut intelligerent Lectores, cujus generis monumenta eſſent, ex quibus Decretum ſuum compoſuiſſet *Gratianus*.

Videre debebat, ab ipſis *Almaino* & *Marca*, quibus tantopere delectatur, Papam tamquam Monarcham ita liberum dici & abſolutum, *ut in quemque habeat poteſtatem, & nemo in eum*. Vidi: ſed cum tota quæſtio verſaretur in diſquirendo, an ſicut Papa a nulla ſingulari Eccleſia ſive particulari Concilio judicari poteſt; ita etiam ne univerſali Eccleſiæ quidem, aut Concilio Generali ſubjaceat: nihil me a propoſito deterrere poterat vel *Almainus* vel *Marca*: quia neuter hoc ſecundo ſenſu liberum & abſolutum Papam conſtituit. Non *Marca*, ut ſupra jam demonſtravi: non *Almainus*, qui loca illa omnia ex Decreto objecta a *Cajetano*, diſtinctione ſenſus diſtributivi & collectivi ſolvit: quique in *Expoſitione circa Deciſiones Ockami* cap. xv. ſic ſcribit (a): *An Papa ſit ſolutus Legibus Conciliorum Univerſalium, dico quod eſt obligatus illis, imo vovet obſervare Leges Conciliorum*. Et cap. XVIII. *Dicunt communiter omnes Doctores Pariſienſes, quod poteſtas Papæ eſt ſub poteſtate Concilii, quantum ad hoc, quod Concilium poteſt certis Legibus Papam arctare, ita quod teneatur Papa judicare ſecundum Leges & Conſtitutiones a Concilio latas: & quantum ad hoc eſt expreſſa determinatio Concilii Conſtantienſis & Baſilienſis, &c.*

Videre debebat, non poſſe a ſe negari abſolutam & illimitatam poteſtatem Papæ, cum abſoluta & illimitata

(a) *Almain.* Tom. II. *Gerſon.* p. 1065. & 1070.

ta ab eo dicatur etiam poteſtas Epiſcoporum. Vidi: ſed ſæpe in *Tentamine Theologico* obſervavi, ſæpe in hac Defenſione ipſius *Tentaminis* indicavi, quo ſenſu abſolutam & illimitatam negarim poteſtatem Papæ; quo ſenſu, ſalvo Papæ Primatu, abſolutam & illimitatam dixerim poteſtatem Epiſcoporum. Dixi abſolutam & illimitatam auctoritatem Epiſcoporum, ad ſenſum *Cypriani* & totius antiquitatis. Negavi abſolutam & illimitatam auctoritatem Papæ, eo ſenſu, quo negavit Synodus Conſtantienſis, & tota ipſa antiquitas.

Videre debebat, judice *Bernardo*, Romanæ Curiæ ſolam judicem eſſe cæleſtem Curiam. Non vidi fateor, vir reconditiſſimæ eruditionis, non vidi apud *Bernardum* tantum privilegium Curiæ Romanæ: nec tale quid apud *Bernardum* extare adhuc credo. Objicis ex Epiſtula CCXXXVI. *Quod ſi contra conſcientias ſuas coegerit eos Romana Curia curvare genua ante Baal; videat Deus, & judicet; videat illa Curia cæleſtis, in qua nulla poterit ambitione ſubverti judicium*. Objicis Notam Mabillonii in hunc locum: *Romanæ Curiæ Judex Curia cæleſtis*. Audio: ſed omnium Curiarum terrenarum judicem eſſe cœleſtem Curiam quis neget? Specialius quid, inquis, de Romana Curia adfirmat *Bernardus*: ſolam Curiam cœleſtem ait eſſe judicem Curiæ Romanæ. Solam nego: id tu de tuo addis: non addit *Bernardus*, non addit Mabillonius. Quid vero ſi adderet? ad ſummum probaret, multa in Romana Curia, quemadmodum in Sæcularibus quoque Curiis, quas ſupremas vocant, ſæpe decerni adverſus reos, quibus reſcindendis nulla ſolet permitti appellatio. Neque enim pro qualibet re appellandum vel Concilium Generale adverſus Papam, vel Rex adverſus Parlamenta. Numquam credam *Bernardum* in Scriptis *Auguſtini* verſatiſſimum latuiſſe id, quod ſcripſerit *Auguſtinus*: *Ecce putemus illos Epiſcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuiſſe*: RESTABAT ADHUC PLENARIUM ECCLESIÆ UNIVERSÆ CONCILIUM, *ut ſi male judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur*. Quo ex *Auguſtini* loco non poterat non videre *Bernardus*, quod poſt ipſum viderunt *Ockamus*, *Henricus de Haſſia*, *Nicolaus de Cuſa*, *Jaco-*

Jacobus Almainus, *Joannes Major*, & quicumque in illum oculos conjecere.

Adde quod ex eo, quod a Curia Romana nonniſi ad cæleſtem Curiam detur provocatio; non magis confici poteſt Curiam Romanam ſoli Deo ſubeſſe, quam Synodum quamlibet Provincialem apud Afros; a quorum Judiciis appellare non licuiſſe ignorat nemo.

Scilicet vanam Religionem ſuam & malam fidem ubique locorum prodit Romanus Anonymus (a). Miratur *mihi in tot Scriptorum Libris verſato non occurriſſe aliquem ex iis*, *qui validiſſimis argumentis demonſtrant*, *ſupremum Primatem ab omni judicio in terris eſſe immunem*, *quamdiu ille actualiter eſt Primas Eccleſiæ*: *hoc eſt*, *quando ille nondum eſt extra mundum per mortem*, *aut extra Eccleſiam per hæreſim*. Quo utroque in caſu docet magnus Theologus, *fidelibus conſtare deficere Papam*, *non per judicium aliquod auctoritativum*, *ſed per authenticam publicationem & declarationem*; *cum ſit proprio judicio condemnatus omnis hæreticus*, *quemadmodum ſcribit Sanctus Paulus ad Titum*, *poſtquam ei dixiſſet*, *hæreticum hominem devitandum eſſe*.

Quis non videat hic vanam Religionem Anonymi, Primatum Romani Pontificis in eo collocantis, quod ipſe in terris *ab omni judicio ſit immunis*? Quaſi veram Primatus ideam non habuerint Conſtantienſes Patres ex decem Nationibus collecti: non habuerit magnus ille *Auguſtinus*, a quo nuper audivimus, potuiſſe in Plenario Eccleſiæ Univerſæ Concilio ſolvi Sententiam Romani Judicii. Quis non videat malam fidem in eo, quod corroſis ex *Thomaſſino* notiſſimis teſtimoniis *Aviti* Viennenſis in cauſa Symmachi, & Gallorum Epiſcoporum in cauſa Leonis III. ad ipſas quoque Œcumenicas Synodos extendere Anonymus conetur ea, quæ de particularibus tantum Synodis intelligi debere, ex Actis ipſis egregie demonſtrarant *Boſſuetus* & *Dupinus*.

Rurſus quid vanius illa diſtinctione, Papam hæreticum ab Eccleſia *non judicari*, *ſed declarari*? Quid item dolo-

(a) Anonym. p. 386. & ſeq.

doloſius, quam diſſimulare, diſtinctionem ejuſmodi ab eodem *Boſſueto* non modo everſam, ſed. etiam irriſam? Nempe ne Romanum Pontificem vel hæreticum cogeretur Generalis Concilii judicio ſubdere, maluit Romanus Anonymus tamquam Catholica dogmata imperitis nobis obtrudere *Cajetani* argutias, quam in Pariſienſium ſententiam pedibus ire.

Pari vanitate & vafritie fideles monet idem Anonymus (a), *numquam fieri poſſe, ut Romanus Pontifex quatenus Supremus eſt Primas, falſum dogma Eccleſiæ credendum imperet*. Quaſi centies non demonſtraſſent Conſtantienſes & Baſilienſes Theologi, eoſque ſecuti Pariſienſes, & cum Pariſienſibus nobiliſſimi quique ex Hiſpania; prætenſam illam Romani Pontificis infallibilitatem novum privilegium eſſe, *ad Bernardi tempora* inauditum, ut obſervat magnus *Boſſuetus* Libro xv. cap. xv. Atque hæc illa ſunt Chriſtianæ Doctrinæ capita, quæ Romanus Pugil tuenda ſe ſuſcepiſſe proteſtatur in ipſa Operis Præfatione.

CAPUT IV.

Confuſio ſeptima, octava, & nona diſpellitur.
Romani Anonymi pro Ultramontanis Placitis obſtinatum & immite ingenium.
Peroratio ad Epiſcopos & Doctores Eccleſiæ Gallicanæ.

Principio v. *Tentaminis Theologici*, Num. xvi. hæc ſcripſeram: *Singuli quidem fideles pro ſchiſmaticis habendi erunt, ſi ſuperiorem ſibi non agnoſcant Petri Succeſſorem. Sed & ipſe Petri Succeſſor pro ſchiſmatico erit habendus, ſi Catholicæ Eccleſiæ ſubeſſe nolit. Revera ſchiſmaticus declaratus fuit in Generali Synodo Piſana Gregorius Papa XII. Declaratus pariter fuit in Conſtantienſi Generali Synodo ſchiſmatis fautor Joannes XXIII. Hanc Papæ ſubjectionem reſpectu Eccleſiæ intelligebat* Hilarius Pictavienſis, *cum ita in Liberium Papam vociferabatur*: Ana-

(a) Anonym. pag. 386.

Anathema tibi, Liberi & ſociis tuis, &c. *Neque aliter* Firmilianus de Cappadocia, *cum ad Stephanum Papam ita ſcribebat:* Te ipſum excidiſti, noli te fallere, &c.

Candidiſſimus & perfectiſſimus Anonymus (a), ſilentio premens ſententias *Hilarii* & *Firmiliani*, cæcum me hic dicit, quod non viderim, alium eſſe Papam certum, alium Papam dubium: aliud Concilium Œcumenicum certum, aliud Concilium Œcumenicum dubium: proindeque ex declarationibus Synodi Piſanæ & Conſtantienſis male probari, Summum Pontificem poſſe fieri & judicari ſchiſmaticum.

Septimam igitur, octavam, nonam confuſionem vocat, quod exemplis Gregorii XII. & Joannis XXIII. quod auctoritate Piſanæ & Conſtantienſis Synodorum demonſtrare contendi; poſſe Papam fieri ſchiſmaticum, poſſe ut ſchiſmaticum a Concilio Œcumenico judicari ac deponi. Et uno velut ictu diſſipaturus, quidquid Principio v. conceſſeram pro adſerenda auctoritate Conſtantienſium Decretorum, ſuperioritateque Conciliorum Generalium: *Cajetani* & *Bellarmini* cavillationibus reſumptis, data opera evincere conatur, dubiam fuiſſe auctoritatem Synodi Piſanæ: dubiam Synodi Conſtantienſis: dubium Pontificem Alexandrum V., dubium Joannem XXIII. Non melius argumentum duci ex depoſitione Gregorii XII. vel Benedicti XIII. quam ex depoſitione *Anacleti*, *Burdini*, & *Petri Leonis*. Quemadmodum *Boſſueto* Œcumenica non fuit Septima Synodus, a qua Galli abfuerint; ita non debere Œcumenicam reputari Synodum Conſtantienſem, quandiu ab illa abfuerunt Hiſpani. Futili proinde ac prorſus ſtramineo fundamento inniti, quidquid Piſanis Conſtantienſibusque Decretis ac Geſtis ſuperſtructum a me fuerat.

Quis autem non intelligat, impeti his non tam me *Tentamenque* meum *Theologicum*, quam ipſa Concilia Sacroſancta, Piſanum & Conſtantienſe; ipſam Declarationem Cleri Gallicani; totam Sorbonam, totam Galliam,

(a) Anonym. p. 396.

liam, imo vero totam Eccleſiam Catholicam: quæ ſi legitime congregata non eſt Piſis & Conſtantiæ; ſi Piſis & Conſtantiæ legitime non definivit; ſi Piſis & Conſtantiæ auctoritatem non habuit immediate a Chriſto; fatendum omnino eſt, totius auctoritatis a Chriſto inſtitutæ unum fontem exiſtere Romanum Pontificem: Romani Pontificis ſervam natam eſſe Eccleſiam Dei: a Romano Pontifice vim omnem & robur accipere Concilia Œcumenica quæcumque, quantacumque, & qualiacumque: Apoſtolica Sede vacante, nihil magni momenti in Eccleſia fieri poſſe: non proſcribi hæreſes, non extingui ſchiſmata, non ordinari Epiſcopos, non congregari ulla Concilia: oleum & operam perdidiſſe *Alliacenſes*, *Gerſones*, *Almainos*, *Majores*, *Cuſanos*, *Abulenſes*, *Panormitanos*, *Eſcobarios*, Theologos, Conſtantienſes & Baſilienſes, & quotquot pro ſuperioritate Conciliorum Generalium longos Tractatus ſcripſere totos tercentos annos.

Nempe verum & indubitatum Pontificem poſſe in ſchiſma incidere, poſſe cauſa ſchiſmatis a Generali Concilio exauctorari Theologi & Canoniſtæ omnes etiam Ultramontani conſentiunt, ut in priori Diſſertatione ex *Duallio* & *Boſſueto* oſtendimus. Gregorium XII. in Piſana Synodo ſchiſmaticum declararunt ex tercentis Epiſcopis plurimi, qui ipſum antea pro vero & indubitato Pontifice agnoverant & coluerant. Joannem XXIII. eadem Conſtantienſis Synodus; quæ ab illo ut vero & indubitato Pontifice colligi ſe paſſa eſt de Germania, Gallia, Anglia, Polonia, Suevia, Norvegia, Dania, Hungaria, Bohemia, Belgio; tamquam ſchiſmatis fautorem depoſuit, & ad Cardinalium ordinem redegit. Cui unus ſufficit vel *Cajetanus* vel *Bellarminus*, ad enuntiationes ſuas ſtabiliendas; huic non ſufficiunt Epiſcopi & Doctores decem Regionum ad meas enuntiationes comprobandas. Cui omnia & tanta hæc non ſufficiunt, quid ſufficiet?

Non vult Romanus Anonymus ſic argumentari me ex Decretis & Geſtis Conſtantienſibus, quemadmodum ex depoſitione Joannis XXIII. adverſus omnes Papas argumentabantur *Alliacenſis* & *Gerſon*. Vult cum ſuis

Canoniſtis verum Papam hæreticum aut ſchiſmaticum non judicari, ſed declarari. Vult nullum Concilium poſſe dici Œcumenicum ſine Papa. Vult præſtare Concilium paucorum Epiſcoporum, cui Papa adſit, Concilio omnium fere Epiſcoporum, a quo abſit Papa. Verbo dicam: vult *Cajetani* argutiis & diſtinctiunculis delectari; non vult maſculam *Boſſueti* eruditionem & ingenuum candorem imitari. Hujuſmodi autem ingeniis quænam, quæſo, argumentandi ratio probari poterit?

Vos igitur, Illuſtriſſimi Galliæ Antiſtites; vos incliti Pariſienſis Academiæ Doctores; te *Boſſuete*, te *Launoi*, te *Arnalde*, te *Maiburge*, te *Dupine*, te *Natalis Alexander*, te *Fleuri* appello: vobiſcum res eſt potius, quam mecum. Vos novus poſt *Orſium* Theologus Romanus laceſſit: vobis inſultat: vos confuſos, vos cæcos, vos garrulos, vos fanaticos vocat. Comprimite, qua polletis dicendi vi & copia, impetum hominis inſolentiſſimi: frangite audaciam: loquacitatem retardate.

Non decet, inquitis, viros graves atque emeritos in aciem prodire adverſus Anonymum, atque adeo ignobilem Scriptorem: non decet adverſus hominem, Catholicam Religionem in Romanæ Curiæ placitis collocantem: non decet adverſus Diſputatorem in re ſeria pueriliter ludentem: non decet adverſus Theologum non Theologum, ſed convitiatorem; non argumentis pugnantem, ſed maledictis ferientem.

Audio, & adſentior. Non decet viros graves & emeritos, pro vindicandis Conſtantienſibus Decretis & Geſtis tantæ auctoritatis, tam fundatis, tam demonſtratis, in tanta rerum & litterarum luce, tam erudito & illuminato ſæculo; in arenam deſcendere adverſus Romanum Anonymum, dignitatem & auctoritatem Eccleſiæ Sponſæ Chriſti non ex veterum traditione primævisque monumentis, ſed ex hodierno Romanæ Curiæ ſtatu, ex Scholarum præjudiciis æſtimantem.

CA-

CAPUT V.

Decima & ultima confuſio mihi objecta ſatis oſtendit, quam male Romanos habeat, quod ex antiquis monumentis manifeſtetur mala fides ipſorum in emendandis Miſſalibus & Breviariis.
Edmundi Richerii *locus memorabilis.*
Quam multa alia ex antiquis Libris eraſerint Romani Curiales.

Concoquere non poteſt Romanus Anonymus, quod ego in *Tentamine Theologico* Principio v. Num. xvii. facta collatione plurimorum Miſſalium & Breviariorum antiquorum cum recentioribus Miſſalibus & Breviariis, meridiana luce clarius oſtenderim, immutatam fuiſſe in recentioribus formam proponendi Evangelii, *Si peccaverit in te frater tuus &c.* quæ in antiquis conſtantiſſime legebatur: eraſam ſimiliter in recentioribus ex oratione Cathedræ S.Petri vocem *Animas* ante verba *ligandi atque ſolvendi*, quæ in antiquis fere omnibus extabat. Quoniam vero factum negare non poteſt, in cauſam correctionis a me indicatam ita iracunde invehitur, ut extremum hunc hominis præ rabie exaſperati impetum fuiſſe non immerito credas.

Ac quod ad manifeſtationem rei pertinet, non primus quidem ego fui, qui duplicem illam correctionem indicarim. Indicarant ante me primam *Sarpius*, *Richerius*, & nuperrimus Epiſcopus Antiſſiodorenſis. Indicarant ante me ſecundam *Launojus*, *Natalis Alexander*, & Anonymus Auctor Operis Gallice inſcripti, *La Crie de la Foi*. Omnium loca, excepto *Natale Alexandro*, indicavi in Notis ad *Tentamen Theologicum* Latinum.

Jam cauſam prioris immutationis eam ego fuiſſe dixi, quæ ex ſe aperta erat: nempe ideo mutatam formam proponendi Evangelii, quia poſitis illis verbis, *Reſpiciens Jeſus in Diſcipulos ſuos dixit* Simoni Petro; *Si peccaverit in te frater tuus, &c.* manifeſtiſſimum fiebat, ex ſenſu Eccleſiæ ad Petrum quoque pertinere il-

O 2 lud,

lud *ſi te non audierit, dic Eccleſiæ*. Cumque ut recte obſervavit *Gerſon*, *Eccleſiæ* nomine intelligi non poſſet Petrus ipſe, qui non dixiſſet ſibi ipſi: manifeſtiſſimum pariter reddebatur, *Eccleſiæ* nomine hic ſignificari Eccleſiaſticum cœtum, huicque cœtui Eccleſiaſtico ſubjici a Chriſto Petrum, contra quam volebant recentiores Petri Succeſſores; qui propterea omnem moverunt lapidem, ut Conſtantienſia Decreta ſubtilibus *Turrecrematæ* & *Cajetani* argutiis quaſi victa ſuccumberent.

Cauſam ſecundæ mutationis eam ego pariter dixi, quæ ex ſe quoque obvia erat: nempe vocem *Animas* ideo ex oratione S. Petri abraſam eſſe, ut poteſtas clavium non ſolas animas, ſive non ſola ſpiritualia; ſed corpora quoque, ſive temporalia comprehendere videretur.

Quid ad hæc Romanus Anonymus (a)? Contendit formam Evangelii proponendi in Miſſalibus & Breviariis ideo eſſe mutatam, ut ſic cum forma cohæreret Evangelii a *Matthæo* deſcripti in Bibliis. Similiter abraſam ideo eſſe de oratione Cathedræ S. Petri vocem *Animas*, ut poteſtas ligandi atque ſolvendi tantum extenderetur in Miſſalibus & Breviariis, quantum in Evangelio Authentico, ubi Petro indefinite & generaliter dicitur: *Quodcumque ligaveris, quodcumque ſolveris*.

Hinc colligit ſummus Theologus: cum utraque mutatio pro fundamento habeat ipſum Evangelium, uſque adeo ex duplici illa mutatione deduci non poſſe quod volebam, ut potius deduci debeat contrarium. Atque ita ex priori deduci debere, Papam Eccleſiæ judicio non ſubeſſe: ex poſteriori autem, ſub poteſtate ligandi atque ſolvendi non ſpiritualia tantum, ſed etiam temporalia comprehendi. Acutum quidem, & dignum *Cajetani* Diſcipulo ratiocinium!

Ergo ſi Anonymum audivimus, illud unum in Miſſalibus & Breviariis corrigendis ſibi propoſuerunt Romani Cenſores ſub Clemente VIII. & Paulo V. ut cum Evangelium de correctione fraterna, tum oratio de

(a) Anonym. p. 457. & ſeq.

de Cathedrà S.Petri, cohæreret cum iis quæ in Bibliis leguntur. Neque enim in Evangelio de correctione fraterna ſermo Chriſti apud Matthæum ad Petrum nominatim dirigitur, ſed ad Diſcipulos in communi: neque ubi poteſtas ligandi atque ſolvendi apud Matthæum Petro datur, ulla rerum ligandarum ac ſolvendarum exceptio a Chriſto ponitur.

Atqui ut a poſteriori loco incipiamus, hoc ipſum argumentum erat, quo potiſſimum evincere conabatur Gregorius VII. ſub poteſtate ligandi atque ſolvendi etiam comprehendi poteſtatem Imperatorum & Regum deponendorum; ut ex illius epiſtulis nuper demonſtratum a me eſt in Diſſertatione *De Scriptis ac Geſtis Gregorii Papæ VII. adverſus Henricum Quartum Imperatorem.* Ergo ex hoc ipſo decretorie conficitur, cauſam eradendæ vocis *Animas* aliam non fuiſſe, quam ut non ad ſolas *Animas* reſtricta intelligeretur poteſtas clavium.

Ut de primo autem jam loquamur, ſi propterea emendatum in Miſſalibus & Breviariis eſt Evangelium de correctione fraterna, quia apud Matthæum non dirigitur ſermo Chriſti nominatim ad Petrum: fateri debet Romanus Anonymus, turpiter erraſſe, & quidem in re graviſſima Romanam Eccleſiam, imo totam Eccleſiam Catholicam, quæ per mille fere annos Evangelium illud ita legit, ita legendum propoſuit; ut intelligerent Catholici auditores omnes, ad Petrum præcipue ſermonem ſuum direxiſſe Chriſtum, cum dixit: *Si peccaverit in te frater tuus, &c. ſi te non audierit, dic Eccleſiæ, &c.* Nam ex vetuſtiſſimis Calendariis noſtro, & ſuperiori ſæculo publicatis a *Frontone Ducæo, Thomaſio Cardinale, Baluzio, Dominico Georgio*, & aliis a me citatis in Notis ad hunc locum *Tentaminis Theologici* planiſſime conſtat, formam illam proponendi Evangelii, *Reſpiciens Jeſus in Diſcipulos ſuos dixit Simoni Petro*, tota Eccleſia viguiſſe a ſæculo nono ſaltem uſque ad ſæculum XVI.

At quis niſi impius dicat & concedat, totam Eccleſiam erraſſe in modo proponendi & intelligendi Evangelium? Quis niſi impius dicat & concedat, defuiſſe per decem ſæcula toti Eccleſiæ divinum lumen, quo vi-

videret male a ſe proponi & explicari fidelibus populis verbum Dei ?

Liceat igitur mihi hoc ſaltem in loco *Richerianum* eſſe. Liceat hic deſcribere, quod Libro I. Defenſionis ſuæ adverſus *Duvallium*, cap. IV. notavit *Richerius*, Num. XLVII. (a). *Proculdubio*, inquit, *ſeries contextus capitis* 18. *Matthæi liquido confirmat*, *Dominum Petro tamquam figuram Eccleſiæ gerenti loquutum* : *eamque conſtantem fuiſſe totius Eccleſiæ traditionem*, *Evangelium tertia feriæ hebdomadis tertiæ Quadrageſimæ docet*, *cujus Evangelii tale eſt exordium* : Reſpiciens Jeſus in Diſcipulos ſuos, dixit *Simoni Petro* : Si peccaverit in te frater tuus, &c. SIC ENIM ANTE NUPERAM BREVIARIORUM ET MISSALIUM REFORMATIONEM A JESUITIS PROCURATAM LEGEBATUR, *etiam in ipſo Ordine Romano*, & *nunc hodie Pariſienſi*, &c.

Fateamur igitur non minus candide, quam vere; non alio fine aut alio ſpiritu ductos fuiſſe Romanos Cenſores in expungenda antiquiſſima & receptiſſima forma legendi Evangelii de correctione fraterna, & de oratione Cathedræ S.Petri voce *Animas*; quam quo ducti ſunt ad expungendam ex Breviariis Homiliam illam *Auguſtini*, quæ in Octava Ss. Apoſtolorum Petri & Pauli legebatur, ut ex atteſtatione *Antonii de Roſellis* ſub Eugenio IV. conſtat :- in qua Homilia diſplicebat Romanis auribus, quod *Auguſtinus* ſic interpretaretur Evangelium: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, *ſuper hoc quod dixiſti*, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, *ædificabo Eccleſiam meam* : *tu enim Petrus a petra*, *non a Petro petra*, *ſed a Petra Petrus*, &c.

Non alio fine aut alio ſpiritu ductos, quam quo tollendam de Breviariis curarunt ad diem XIV. Auguſti Lectionem illam *S. Euſebii*, in qua dicebatur *Liberius Arianæ perfidiæ conſenſiſſe*.

Non alio fine aut alio ſpiritu ductos, quam quo ex Lectionibus S.Leonis II. ad diem XXVIII. Junii expunxere nomen Honorii Papæ cum ceteris Monotelithis ibi damnati. Non

(a) *Richer*, Tom. I. p. 137.

Non alio fine aut alio ſpiritu ductos, quam quo ex Operibus Oſtienſis Cardinalis eraſere locum illum, ubi *Annatarum* exorbitantia notabatur.

Non alio fine aut alio ſpiritu ductos, quam quo *Librum Diurnum* ab Holſtenio publicatum ſuppreſſere: in quo Diurno & Honorii nomen inter hæreticos damnabatur, & Formula jurisjurandi de obſervandis Canonibus a Romanis Pontificibus emittendi continebatur.

Non alio fine aut alio ſpiritu ductos, quam quo ex editionibus Tridentinæ Synodi delevere proteſtationem trium Epiſcoporum de non petenda confirmatione Pontificia.

Non alio fine aut alio ſpiritu ductos, quam quo ex *Practica Papienſi* Joannis Petri de Ferraris induxere, quidquid ille adverſus temporalem Papæ Monarchiam ſcripſerat.

Non alio fine aut alio ſpiritu ductos, quam quo Innocentius III. in cap. *Per venerabilem*, & Leo X. in Bulla *Paſtor æternus*, ex loco Deuteronomii cap. XVII. verſu II. *Qui non obedierit Sacerdotis imperio & Decreto judicis, morte moriatur:* conjunctionem *&* ſuppreſſere, ut ita e re ſua legeretur: *Qui non obedierit Sacerdotis imperio, decreto judicis moriatur.*

Non alio fine aut alio ſpiritu ductos, quam quo in Synodo Lateranenſi ſub Benedicto XIII. Seſſione VI. ubi de recipienda Bulla *Unigenitus* agitur, pro eo quod ſimpliciter decretum erat a Papa & Epiſcopis, *ut Conſtitutio a Clemente XI. edita, quæ incipit* Unigenitus, *ab omnibus cujuſcumque gradus & conditionis omnimoda & debita obedientia & executione obſervetur*: ante illa verba, *ab omnibus cujuſcumque gradus*, additionem iſtam, *quamque tamquam noſtræ Fidei Regulam agnoſcimus*, de ſuó inſeruit Præſul *Finius* Jeſuitarum gregalis, qui tunc a manu erat, & poſteá Cardinalatu emicuit: prout ex Diario Abbatis *Orſanii* refert *Scholiaſtes Fleurii* (a), quem ex noviſſima editione Fleurianæ Diſſertationis Pariſiis facta anno MDCCLXVIII. tandem ante

O 4 paucos

(a) *Scholiaſtes Fleurii* pag. 261. noviſ. edit.

paucos dies agnovi eſſe *Petrum de Chiniaco*, Advocatum Curiæ Pariſienſis. Vera autem eſſe quæ de corruptione Actorum Synodalium prodiderat *Orſanius*, confirmat celeberrimus Dominicani Ordinis Theologus Pater *Patuzzius* (a), in una ex quatuor Epiſtulis, quas edidit pro *Encyclica* Benedicti Papæ XIV. de anno MDCCLVI. & quæ anno MDCCLX. Pariſiis recuſſæ ſunt.

CAPUT VI.

Anonymi Romani vana religio & mala fides ultimo demonſtratur.

FErenda hæc porro utcumque eſſent, ſi de Trinitate aut Incarnatione, ſi de Gratiæ neceſſitate, ſi de Sacramentis a Chriſto inſtitutis, ſi de fundamento Religionis, ſi de capitalibus Fidei vel Diſciplinæ capitibus ageretur. At Religionis obtentu Romanæ Curiæ temporalia emolumenta quæri: religionis obtentu anathematizari totum orbem: infamari optimos Scriptores; proſcribi optimos Libros; non parci antiquis Patribus; ſæviri in doctrinas innocuas & fundatiſſimas perinde, ac in hæreſes & peſtifera dogmata; idque propterea, quod a *Cajetani* & *Bellarmini* doctrinis diſſideant: ea credo æquo animo laturum neminem, qui ſit priſcæ fidei & candidi pectoris. Scio antiquiora hæc eſſe *Cajetano* & *Bellarmino*. Nam ante celebratum Concilium Conſtantienſe in hunc modum ſcribebat Pariſiis *Joannes Breviſcoxa*, poſtea Epiſcopus Pariſienſis (b): *Utrum autem ſequatur ex Sacra Scriptura, quod Petrus habuerit juriſdictionem coactivam ſuper alios; nihil volo aſſerere pro nunc*: QUIA PERICULOSUM EST LOQUI DE HAC MATERIA, ET FORTASSE PERICULOSIUS, QUAM DE TRINITATE AUT INCARNATIONE JESU CHRISTI SALVATORIS NOSTRI.

Sed temporum & doctrinarum viciſſitudines diligenter

(a) *Catech. Hiſtor.* Tom. II. p. 349. & Tom. III. p. 104.
(b) Tom. I. *Gerſon* p. 882.

ter conſideranti, nemini dubium eſſe poteſt quin poſt Baſileenſes turbas ſtrenuiorem operam collocarint quidam Pontifices, quidam Pontificum adſentatores; ut Papalis Monarchia abſoluta & univerſalis altiores in dies radices ageret, fieretque quotidie magis ac magis illuſtrior & formidoloſior. Hinc Bulla *Execrabilis* Pii II. & Bulla *Suſcepti Regiminis* Julii II. in quibus damnantur appellationes ad futurum Concilium Generale. Hinc Bulla *Paſtor æternus* Leonis X. qua Baſileenſis Synodus & Pragmatica Sanctio abrogatur. Hinc Bulla *Cum ex Apoſtolatus officio* Pauli IV. ubi ipſis hereditariis ſtatibus & ſubditorum obedientia privantur Imperatores, Reges, Duces, Marchiones, Comites, ceterique Principes, qui fide Catholica ejurata hæreſim amplectantur. Hinc Gallis & Hiſpanis Epiſcopis os obſtructum in Tridentina Synodo, ne ibi Conſtantienſium Decretorum confirmationem urgerent. Hinc Pii IV. Index Librorum prohibitorum. Hinc *Bulla Cænæ* a Pio V. publicari & obſervari juſſa non minori ſtudio, quam poſſet Nicænum Symbolum. Hinc diſſidium Pauli V. cum Venetis. Hinc Innocentii XI. & Alexandri VIII. intentata fulmina adverſus Gallicanos Epiſcopos. Hinc turbæ & ſchiſmata occaſione Bullæ *Unigenitus*. Hinc denique Monitorium Clementis XIII. adverſus Parmæ Ducem.

Omnium autem horum moliminum quis hodie inter cordatiores neſciat hunc finem eſſe, ut religioſo terrore moti, Romanæ Curiæ majeſtati & ſplendori vel inviti deſerviant Reges, Principes, Epiſcopi, Abbates, totus Clerus, tota Reſpublica Chriſtiana: huic majeſtati & ſplendori litent Imperia, Regna, Provincias, Urbes, Oppida, arces, copias, opes, theſauros, officia, beneficia, fœdera, pacta conventa, Epiſcopatus, Abbatias, Commendas, Prioratus, Eccleſias, Oratoria, Cœnobia, villas, latifundia. Omnia enim hæc promiſcue comprehenſa volunt Romani verbis illis, *Quodcumque ligaveris erit ligatum, quodcumque ſolveris erit ſolutum*.

His ſtudiis, his artibus a puero adſuetus noſter Anonymus, graviter mihi ſuccenſet, quoniam in *Ten-*

tamine Theologico cauſam eradendæ vocis *Animas* eam dixi, quod vidiſſent Romani, voce ANIMAS retenta *palam fieri*, *clavium poteſtatem verſari circa ſolas animas*, *valereque tantum in foro conſcientiæ*, *utpote mere ſpiritualem*. *Sublata vero voce* ANIMAS *adhuc locum dari comprehendendis ſub clavium poteſtate corporibus ipſis & terrenis bonis*: *quæ ipſiſſima eſt indirecta*, *quam vocant*, *poteſtas in Temporalia Regum & Principum Sæcularium*, *quam tanto conatu Romano Pontifici adtribuere volunt* Bellarminus *ceterique Jeſuitæ*.

His ait Romanus Cenſor reddi a me fidelibus populis (a) *ſuſpectum Primatum juriſdictionis Papæ*, *utpote Regum auctoritati periculoſum*: his ait *infligi a me ictum graviſſimum poteſtati coactivæ ipſius Primatus*, *ne poteſtatem ipſam fideles credant vere ſupremam*, *abſolutam*, *illimitatam*, *monarchicam*. Quod idem eſt ac dicere, Primatum juriſdictionis ſuſpectum reddi fidelibus populis, ſiquis fidelibus populis perſuadeat, nullum jus, nullam auctoritatem Papæ competere in imperia & regna terrena; quamvis jus ipſum eamque auctoritatem Romanis Pontificibus donarint Theologi & Canoniſtæ bene multi, eoque jure atque auctoritate uti ſæpe conati fuerint Romani Pontifices. Idem eſt ac dicere, niſi clavium poteſtati ſubjaceant ipſa temporalia, in diſcrimen adduci ſupremam Romanorum Pontificum poteſtatem, quam *abſolutam*, *illimitatam*, *monarchicam* credi par eſt.

Obſervat mox callidiſſimus Scriptor, *præcipuum fundamentum opinionis de ſuperioritate Concilii Generalis*, quo utuntur noſtri Theologi, atque in his *Almainus* & *Major*; peti ſolere ab exemplo Popularium Conventuum, quibus obnoxiam eſſe Regum poteſtatem ſupponunt iidem Theologi. Cumque ex *Boſſueto* demonſtraſſet, multo minus periculoſum eſſe Pontificibus, quam Populis Reges ſubjici: miratur quod ego, qui indirectæ poteſtati adeo ſum infenſus, Conciliorum tamen ſuperioritatem validiſſime propugnarim.

Vi-

(a) Anonym. pag. 448.

Vide, quibus ambagibus mihi inſidiari curet; quibus cuniculis & adſtruere indirectam Papæ poteſtatem in temporalia, & ſubvertere doctrinam de ſuperioritate Conciliorum tentet vaferrimus hoſtis. Et ex his omnibus quidem nihil mihi tam ſtomachum movet, quam quod in partes ſuas ille trahere audeat Illuſtriſſimum *Boſſuetum*. Jam enim Diſſertatione II. oſtendimus ex eodem Boſſueto, *ſententiam de potiori Conciliorum poteſtate nihil Regum Juribus ac poteſtati nocere*: non minus invidioſe, quam imperite hæc objici a Theologis Pontificiis: non exemplo illo Popularium Conventuum uſam eſſe Conſtantienſem Synodum: non Pariſienſem Facultatem: non aliquem eorum, qui eruditioribus temporibus floruere. Multa alia e Scripturis & Traditione argumenta præſto eſſe, quibus potior Conciliorum auctoritas invicte demonſtretur. Jam etiam in tertia Diſſertatione luculentiſſimum alterum teſtimonium produximus, in quo idem *Boſſuetus* adverſus *Charlaſium* ſcite animadvertit, *Eccleſiaſticam Monarchiam non fuiſſe a Chriſto inſtitutam penitus ad formam Monarchiæ Sæcularis*. Addo nunc tertium e Libro XV. cap. XXXI. ubi cum *Charlaſius* objeciſſet, Regem Galliæ *Comitiis Generalibus ſuperiorem eſſe*, debereque proinde Generalibus Conciliis ſuperiorem agnoſci Summum Pontificem: eum ſic refellit Epiſcopus Meldenſis (a). *Quorſum iſta? An ut neceſſe ſit ad Gallicani imperii formam Eccleſiam a Chriſto eſſe conſtitutam? Aut verò oporteat cuſtodiendæ fidei ac religionis per univerſum orbem, eandem ac unius gentis adminiſtrandæ eſſe rationem? Cum nec ipſa imperia eandem formam habeant, neque Eccleſiam ad alias, quam Chriſti regulas exigi liceat*.

Hæc non ignorat ſane Romanus Anonymus, qui cum mihi paſſim objiciat *Boſſuetum*, admodum verſatus in illius lectione ſit oportet. Cur ergo *Boſſuetum* opponit non cum Catholicis, ſed cum Proteſtantibus *ad hominem* (quod ajunt) argumentantem? Cur omnibus Theologis adſcribit, quod e ſolis antiquioribus me-

(a) *Boſſuet.* Tom. II. pag. 378.

memorat? Cur perſuadere conatur ſuſpectum reddi Primatum Papæ, ſi indirectæ illius poteſtati ſubtrahantur temporalia Regum & Principum Sæcularium? periclitari ſupremam Regum majeſtatem, ſi Concilio Generali ſubdatur Papa? Quaſi utrumque evidentiſſime non demonſtraſſet *Boſſuetus*; nempe & cum poteſtate Primatus indirecta conſiſtere nullo modo poſſe majeſtatem Regum; & cum ſuperiori poteſtate Concilii Generalis conſiſtere optime poſſe Primatum Papæ. Sed illud videlicet ſubdolis ratiociniis ſuis efficit Romanus Anonymus, ut quod toto Opere fecerat, in fine quoque ejuſdem Operis oſtendat vanam Religionem ſuam & malam fidem. Vanam Religionem Anonymus oſtendit, dum Primatum Papæ in diſcrimen adduci putat, ſi Papæ Primatui omnino ſubtrahantur temporalia. Oſtendit malam fidem in eo, quod ut ſuperioritatem Conciliorum Generalium quaſi oblique evertat, nocere illam Regum majeſtati perſuadere contendit. Rurſus in eo deprehenditur Anonymi vana Religio, quod graviſſimum ictum juriſdictioni coactivæ Romani Pontificis infligi putat, ſi quis ei indirectam poteſtatem in temporalia Regum neget. Deprehenditur mala fides in eo, quod quaſi ſuperioritas Conciliorum Generalium Regum Juribus noceat, obſervat ſatius eſſe Pontifici ſubjacere, quam Populo.

Domine, libera animam meam a labiis iniquis, & a linqua doloſa. Pſalm. CXIX. 2.

AD-

ADDENDA AD CALCEM OPERIS.

Cum jam ſub prælo eſſet mea hæc Elucubratio, optato ſane accidit, ut Oliſiponem adferretur Sanctiſſimi Patris Noſtri Clementis XIV. Epiſtula Encyclica, ad univerſos Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos data: quæ ſi huc aliquanto citius perveniſſet, qua verborum ſententiarumque gravitate & majeſtate concepta eſt, me utique liberatura eſſet a ſuſcepto labore refutandi Anonymi. Nam a Pontificatu quidem Gregorii Papæ VII., nullum ego Scriptum arbitror de Roma emanaſſe ſolidius; nullum limatius; nullum Regibus & Epiſcopis honorificentius; nullum Apoſtolica Sede vel Succeſſore Petri dignius. Sic enim habet:

Venerabilibus Fratribus
PATRIARCHIS, PRIMATIBUS,
ARCHIEPISCOPIS, et EPISCOPIS

CLEMENS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Cum ſummi Apoſtolatus impoſitum Nobis munus cogitatione comprehendimus, tantique oneris vim, ac gravitatem intuemur; non poſſumus, Venerabiles Fratres, *& rei ipſius magnitudine, & perſpecta Nobis virium Noſtrarum imbecillitate non vehementer commoveri. In altitudinem maris veniſſe, atque e tranquillæ vitæ ſecuritate tanquam e tutiſſimo portu, ad regendam Beati Petri naviculam evocati maximis repente nos abripi, atque agitari fluctibus videmur, ac tempeſtatis vi pene demergi. Verum a Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Neque enim ullis humanis conſilii rationibus, ſed illius inſcrutabili judicio Nobis nihil tale opinantibus delatam tanti muneris procurationem apertiſſime intelligimus: Proinde in certiſſimam ſpem erigimur, eum ipſum, qui Nos*

Nos ad ſummi miniſterii ſollicitudinem adduxit, timorem ac infirmitatem noſtram præſidio ſuo ſublevaturum, & exauditurum Nos eſſe in abſcondito tempeſtatis. In eadem fiducia præclare Nos confirmat Petri trepidantis in mari, ac Domini modicam ejuſdem fidem increpantis recordatio. Qui Nobis in Apoſtolorum Principe totius Eccleſiæ curam, & claves Regni Cælorum tradidit; qui ſuas oves paſcere, ac fratres confirmare juſſit; idem certe omnem ſui obtinendi auxilii dubitationem a Nobis depellere, Noſque ſuæ gratiæ ſpe magis voluit, quam timore noſtræ imbecillitatis moveri. Illius itaque, qui eſt robur, ac fortitudo noſtra, voluntati obſequimur; illius fidei poteſtatique Nos permittimus. Ille conſilio ſuo inchoatum in Nobis opus etiam perficiet, atque ex ipſa humilitate noſtra illius potentiæ, ac miſericordiæ vis perfectior omnibus eluceſcet. Nam ſi quid hac temporum conditione, noſtra, qui inutiles Servi ſumus, opera ad Eccleſiæ ſuæ incolumitatem moliri, ac efficere conſtituit; illum unum omnes auctorem atque effectorem perſpicient, & propterea ipſi honorem ac gloriam eſſe tantummodo tribuendam cognoſcent. Quare alacri animo ad maximum ſuſtinendum onus accedimus, & quo potentiore auxilio fidimus, eo majore ſtudio comnitimur, & ob ipſam muneris, ad quod appellati ſumus, præſtantiam, nullas, quæ a Nobis in eo perſungendo conferri poſſunt, ſedulitatis ac induſtriæ partes nimias eſſe judicamus.

Quam quidem adminiſtrationis Noſtræ rationem dum aſſidue verſamus animo, atque ex hac altiſſima Apoſtolicæ Sedis ſpecula in omnes Chriſtiani Orbis regiones oculos convertimus; Vos potiſſimum VENERABILES FRATRES, *excelſo & illuſtri loco poſitos intuemur, veſtro conſpectu recreamur, Vos adjutores Noſtros, Vos Dominici Gregis cuſtodes, ac Evangelicæ vineæ operarios ſumma animi Noſtri jucunditate agnoſcimus. Qui igitur Noſtræ ſolicitudinis partem ſuſtinetis, in ipſo Apoſtolatus Noſtri exordio alloqui Vos maxime cupimus, atque in ſinum veſtrum intimos mentis Noſtræ ſenſus effundere; & ſi quid Vos in Domino hortari, ac commonere videbimur, id vel Noſtro de Nobis ipſis timori tribuite, vel profectum a veſtræ virtutis, ac in Nos pietatis fiducia exiſtimate.*

Ac primum rogamus Vos, VENERABILES FRATRES, *ac obſe-*

obſecramus, ne unquam miſericordiarum Patrem pro imbecillitate noſtra Divino præſidio munienda deprecari intermittatis. Reddite hanc Nobis amoris erga vos Noſtri vicem, atque ita mutua precum veſtrarum ſubſidia Nobiſcum conjungite; ut alteri ab alteris quodammodo ſuſtentati firmiori gradu omnes poſſimus in ſua quiſque ſtatione conſiſtere. Hac potiſſimum animorum conjunctione illam, in qua Nobiſcum coagmentati eſtis, unitatem comprobatis. Unum quippe totius eſt Eccleſiæ ædificium, cujus in hac Sede a Beato Petro poſitum eſt fundamentum. Multi ad illud conſtruendum conjuncti ſunt lapides, ſed omnes ſuper una petra firmantur ac innituntur. Unum eſt Eccleſiæ corpus, cujus Chriſtus eſt Caput, ac in illud omnes coaleſcimus. Nos ipſius poteſtatis vicariam procurationem gerentes ceteris altius illo volente præſidemus. Vos vero una Nobiſcum colligati tanquam cum viſibili Eccleſiæ capite potiores ejuſdem corporis partes eſtis. Quid proinde ſingulis accidere poteſt, quod univerſos non afficiat, neque ad unumquemque promanet? Quemadmodum itaque nihil poteſt peculiarem cujuſque Veſtrum vigilantiam expoſcere, quod Noſtris item curis comprehendi, ad Noſque referri non debeat; ita arbitrari debetis magnopere veſtra intereſſe, quidquid ad Nos pertinet, Noſtramque operam, ac diligentiam deſiderat. Quapropter una voluntatum conſenſione conjuncti, uno eodemque animati Spiritu, qui a Myſtico illo Capite profluens, ac per univerſa membra diffuſus vitam omnibus diſpertit; contendere omnes, ac dare operam præſertim debemus, ut Eccleſiæ Corpus integrum atque incolume ſit; ut nulla ruga, ac macula contracta, omni Chriſtianæ virtutis laude inſtruatur, ac vigeat. Quod quidem Divina ope præſtari a Nobis poterit, ſi pro virili ſua quiſque commiſſi ſibi Gregis ſtudio exardeſcet; ſi illa una ſingulis inſidebit cura Populi ſui ab omni malorum contagione, atque errorum inſidiis removendi, ac omnibus doctrinæ ſanctitatiſque ſubſidiis diligentiſſime muniendi.

Hujuſmodi Animarum ſalutis cupiditate ſi unquam eos, qui tuendæ vineæ Domini præſunt, excitatos eſſe oportuit, hoc præſertim tempore illos inflammari eſt perneceſſarium. Quando enim tam multiplices, tam noxias ſive ad labefactandam, ſive ad tollendam Religionem exoriri fere quotidie,

tidie, ac circumferri opiniones; quando novitatis illecebra magis inductos homines, & quadam peregrinæ ſcientiæ aviditate pertractos ad hanc confluere, atque eandem libentiſſime conquirere vidimus? unde animarum peſtem & perniciem extendi latius in dies, ac miſerrime propagari dolemus. Quare eo acrius Vobis erit laborandum, VENERABILES FRATRES, *omneſque vel diligentiæ, vel auctoritatis vires exerendæ, ut hanc tantam, ac de divinis etiam, & ſanctiſſimis rebus graſſantem temeritatem, atque inſaniam repellatis. Non in corruptibilibus, ac vanis humanæ ſapientiæ præſidiis, ſed in ſimplicitate doctrinæ, ac in Verbo Dei penetrabiliore omni gladio ancipiti dumtaxat Vos illud conſequuturus confidite. Tum hoſtium impetus coercere facile poteritis, atque Adverſariorum tela retundere, cum in omnibus ſermonibus veſtris Jeſum Chriſtum crucifixum præferetis, ac prædicabitis. Suis ille legibus, atque inſtitutis Sanctam hanc Civitatem, ſuam nimirum Eccleſiam, condidit, ac communivit. Suæ fidei tanquam depoſitum caſte pieque cuſtodiendum huic tradidit. Suæ doctrinæ, ac veritatis hanc eſſe voluit firmiſſimum munimentum, adverſus quam portæ Inferi nunquam prævalerent. Nos igitur,* VENERABILES FRATRES, *Civitatis Sanctæ Præſides, ac Vigiles, hanc ejuſdem Conditoris Domini, ac Magiſtri noſtri legum, ac fidei præclariſſimam hæreditatem, Nobis per Majores noſtros integerrime traditam diligenter tueamur, ac ad poſteros noſtros puram, atque incolumem tranſmittamus. Ad hanc in Sacris Litteris acceptam normam facta, & conſilia noſtra omnia dirigentes; præterea Patrum noſtrorum certiſſimis inhærentes veſtigiis, inſtructiſſimos Nos futuros putemus ad omnes vitandas offenſiones, quæ Chriſtiani Populi fidem debilitare poſſint, ac infringere, atque Eccleſiæ unitatem ulla ex parte diſſolvere. Ab illis Divinæ Sapientiæ fontibus, ſcripta ſcilicet, traditaque doctrina, quæcumque ſive ad credendum, ſive ad agendum requirantur, tantummodo hauriamus.*

In gemino enim hoc locupletiſſimo veritatis, ac virtutis omnis inſtrumento, continentur quæcumque ad Religionis cultum, ad morum diſciplinam, recteque vivendi inſtitutionem pertinent. Hinc Myſteriorum altitudinem, hinc pietatis, honeſtatis, juſtitiæ, humanitatis officia ediſcimus:

Quid

Quid Deo, quid Eccleſiæ, quid Patriæ, quid Civibus, quid ceteris hominibus debeamus intelligimus. Unde nullis præclarius, quam his veræ Religionis legibus Civitatum etiam, ac Societatum jura ſtabilita eſſe cognoſcimus. Ac propterea nemo fere unquam divinis Chriſti ſanctionibus bellum intulit, quin idem continuo, quantum in ſe eſt, populorum tranquillitatem perturbarit, Regum obſequium detrectarit, infeſta, ac incerta omnia fecerit. Magna eſt enim inter Divinæ, ac Humanæ poteſtatis jura conjunctio; ac proinde, qui Chriſtianæ Legis auctoritate Regum Imperia munita eſſe norunt, alacri animo iiſdem obtemperant, verentur potentiam, dignitatem obſervant, & colunt.

Atque hanc quidem Divinarum præſcriptionum partem non minus cum Populorum tranquillitate, quam cum animarum ſalute conjunctiſſimam conſiderantes, magnopere Vos hortamur, Venerabiles Fratres, *ut poſt Deum, ac divini cultus conſtitutas in Eccleſia rationes, omnem ſolicitudinem veſtram ad Populum Regum obedientia ac obſequio rite imbuendum convertatis. Illi nimirum ad publicam incolumitatem tuendam, ac homines in juris æquitate continendos in altiſſimo gradu præ ceteris ſunt conſtituti. Miniſtri enim Dei ſunt in bonum, nec ſine cauſa gladium portant, vindices in iram ei, qui malum agit; cariſſimi præterea Eccleſiæ Filii ſunt, ac Patroni, quorum eſt eandem, ut Parentem, diligere, ejuſque cauſam, ac jura cuſtodire. Quos igitur inſtruendos in Chriſti lege ſuſcepiſtis, mature divino illo præcepto imbuendos curate: fidem Regibus ſancte eſſe ſervandam ab ipſis incunabulis percipiant; parendum auctoritati, legibus obſequendum non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Cum ita Populorum animi fuerint opera veſtra excitati, non ſolum ut Regibus dicto audientes ſint, ſed etiam ut eos colant, ac diligant; tum optime, & Civium tranquillitati, & Eccleſiæ utilitati, quæ inter ſe disjuncta eſſe non poſſunt, conſuletis. Eas vero officii veſtri partes uberius cumulabitis, ſi ad quotidianas pro Populo preces, peculiares etiam pro Rege obſecrationes adjungatis; ut incolumes illi ſint, ut ſuos in æquitate, pace, ac juſtitia regant; ut Deum ipſum in regno hominum dominantem cognoſcentes, ejuſdem cauſam ſancte pieque tueantur, ac provehant. Ita a Vobis*

erit non minus Epiſcopali veſtro muneri, quam omnium commodis ſatisfactum. Quid enim juſtius ac opportunius, quam pro Auctore publicæ pacis, ac civium ſalutis Cuſtode ab illis perpetuo Dominum obſecrari, qui pro hominibus conſtituuntur in iis, quæ ad Deum ſunt, & tanquam interpretes ac ſequeſtri ſuis conjuncta precibus omnium vota Domino repræſentant?

Jam vero ceteras Paſtoralis Officii partes diligentius Vobis percenſere ſupervacaneum ducimus. Quid enim ſingula perſequamur, Voſque de iis cohortemur, quorum intelligentia præclare inſtructos eſſe novimus, diuturno inſuper uſu, & quadam animi inductione veſtro muneri conſentanea confirmatos? Illud tantummodo non committemus, ut quo uno comprehendi omnia credimus, Vobis ante oculos non ſubjiciamus; veſtram ſcilicet virtutem excitantes ad Ducis Noſtri ac Paſtorum Principis conſectandum in omnibus exemplar, atque illud ſanctitatis, caritatis, humilitatis ſpecimen in Vobis ipſis exprimendum. Si enim Ille cum Patris ſui gloriæ Splendor eſſet, & Figura ſubſtantiæ ejus, aſſumpta carnis noſtræ infirmitate, homines a ſervitute per humilitatem & caritatem vindicatos in Dei Filios adoptari, & Cohæredes ſuos fieri voluit; quanam in re glorioſius, ac præſtantius cogitationes, & labores noſtri verſari poſſunt, quam ut hujus hominum cum Chriſto conjunctionis, ac neceſſitudinis tuendæ auctores ceteris ſimus; & in illa imitanda bonitatis, clementiæ, manſuetudinis Divinæ forma exemplo noſtro omnibus facem præferamus? Qua enim alia ratione ſuper montem excelſum aſcendit, qui evangelizat Sion? Vobis hujus conſectandæ ſimilitudinis deſiderio ſemel incenſis fieri non poteſt, quin idem ardor ad veſtri univerſi Populi mentes conflagrandas dimanet. Mirifica ſiquidem Paſtoris vis eſt atque auctoritas ad ſui Gregis animos commovendos. Qui cum illius cogitationes, actioneſque omnes ad hoc veræ virtutis ſpecimen conformatas noverint; cum in illo nihil aſperum, nihil arrogans, nihil elatum, verum omnia caritatis, manſuetudinis, humilitatis officiis plena viderint; tum vero acerrime ad eaſdem æmulandas laudes incitatos ſeſe ſentient. Præterea cum eumdem omnis privatæ utilitatis oblitum, ceterorum commodis inſervientem, opibus egentes, ſolatio afflictos, doctrina rudes, omnes officio,

cio, conſilio, pietate ſublevantem, Populi denique ſalutem ſuæ ipſius vitæ præferentem intelligent; hæc Paſtoris ſui amore, ſtudio, ac ſedulitate illecti libentiſſime docentis, cohortantis, obſecrantis, arguentis etiam, atque increpantis voces audient. Nam ſi qui privatarum rerum cupiditate obſtricti ſint, ac terrena Divinis præferant, quo pacto poterunt alios ad Dei caritatem, ac mutuam inter ſe benevolentiam; divitiis, voluptatibus, honoribus inhiantes, ad rerum humanarum contemptum; faſtu ac ſuperbia elati, ad manſuetudinem atque humilitatem inducere? In Jeſu Chriſti igitur diſciplina erudiendi Populi cum munus ſit a Vobis ſuſceptum, in ejuſdem potiſſimum ſanctitate, innocentia, lenitate Vobis erit inhærendum. Tum veſtra Vos poteſtate præclare tantummodo eſſe uſuros reputate, cum potiora Vobis erunt caritatis atque humilitatis, quam dignitatis inſignia. Maximum ſtatuite veſtrum hoc eſſe, atque ad Vos unice pertinere, Populi Vobis crediti hunc in modum inſtituendi negotium; ab illo recte gerendo omnes veſtras derivandas eſſe laudes ac fortunas, a negligendo calamitatem ac turpitudinem. Quare hæ veſtræ ſint a Vobis tantummodo expetendæ divitiæ, ut Chriſti ſanguine redemptas animas Chriſto lucrifaciatis; ea ſincera ac ſolida gloria, ut in Divino promovendo cultu, in Domus Dei decore amplificando, in vitiis extirpandis, ac virtutibus excolendis fidelem ac ſedulam operam veſtram Domino ſemper exhibeatis. Hæc aſſidue cogitare, hæc agere, hic ambitioſi, hic cupidi eſſe debetis.

Neque vero cum diu multumque eritis in hac laborum contentione verſati, defutura unquam Vobis arbitremini virtutis exercendæ ſpatia. Ea quippe eſt muneris veſtri conditio, ea Epiſcopalis vitæ ratio, ut nunquam debeat curarum ceſſationem, nunquam otium conſequi. Nullis poſſunt eorum actiones circumſcriptæ eſſe terminis, quorum caritatis amplitudinem nulli debent fines comprehendere. Sed immortalis atque infinitæ mercedis Vobis conſtitutæ expectatio facile moleſtias omnes leniet, ac leviſſimas efficiet. Quid enim grave ac moleſtum eſſe poterit cogitantibus, beatiſſimam illam retributionem ob ſervatum ac multiplicatum gregem a Domino, cum rationem paſtoralis muneris repoſcet, recipiendam? Præter hanc pulcherrimam immortalita-

tatis ſpem, in ipſis etiam ſuſtinendis paſtoralis vitæ laboribus plurimam jucunditatem ineſſe ſentietis; cum Deo conatus veſtros adjuvante Populum veſtrum mutua inter ſe caritatis conjunctione devinctum, integritate, ac pietate florentem; ceteros denique omnes egregios vigiliarum ac laborum veſtrorum fructus in Eccleſia exortos conſpicietis. Utinam Noſtrum omnium unanimi hujuſmodi voluntatum, ac ſtudiorum conſenſione reductam, his Noſtri Apoſtolatus temporibus præclaram hanc Religionis felicitatem, ac antiquæ illius ætatis ſimilem formam videamus, ac gratulari Vobiſcum, VENERABILES FRATRES, *& congaudere poſſimus in Chriſto Domino Noſtro, qui ſuæ gratiæ præſidio Nos ſuſtentet, & cor noſtrum in illa, quæ ei ſunt placita, ſemper accendat.*

Quo tempore haſce litteras ad Vos, VENERABILES FRATRES, *perſcribimus, eodem per alias Noſtras univerſis Chriſti fidelibus Jubilæum de more ad implorandam initio noſtri Pontificatus divinam opem pro ſalutari Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ regimine tranſmittimus. A Vobis igitur majorem in modum petimus ac flagitamus, ut commiſſos veſtræ fidei Populos ad eas rite faciendas in fide, pietate, ac humilitate precationes dirigatis; ac ſicut monitis, & conſiliis veſtris, ita etiam exemplo ad curandas tam ſuæ ſalutis, quam publicæ Chriſtianæ utilitatis rationes inflammetis.*

Ac in noſtræ caritatis pignus Apoſtolicam Benedictionem Vobis, VENERABILES FRATRES, *ac Veſtrarum Eccleſiarum Fidelibus Populis amantiſſime impertimur.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die duodecima Decembris MDCCLXIX. *Pontificatus Noſtri anno primo.*

Hac Encyclica reſtitutum Regibus & Epiſcopis a Clemente XIV., quidquid utriſque erat ablatum a Gregorio VII., Innocentio III., Bonifacio VIII., Eugenio IV., Leone X., Paulo IV., Paulo V., Clemente XIII.: optime viderunt, & Paſtoralibus Litteris ſuis evulgarunt cum Epiſcopis Suffraganeis fere omnibus Luſitanici Regni Metropolitæ tres longe graviſſimi ac ſapientiſſimi, nempe primo Excellentiſſimus ac

ac Reverendiſſimus Dominus Joannes Archiepiſcopus Eborenſis, Supremus Luſitaniæ Prætor: ſecundo Eminentiſſimus ac Reverendiſſimus Dominus Franciſcus Cardinalis de Saldanha, Patriarca Oliſiponenſis: tertio Sereniſſimus Princeps Dominus Gaſpar, Archiepiſcopus Bracarenſis, Hiſpaniarum Primas.

Quibus ducibus ac Magiſtris, laudatiſſimi Pontificis doctrinas & ſenſus cum doctrinis & ſenſibus nonnullorum Prædeceſſorum conferens, pronuntiare nullus dubito per Gregorium quidem VII. in Epiſtula ad Herimannum Metenſem, & in Additis ad caput *Ego*, *De Jurejur.* & per Innocentium III. in capite *Solitæ*, *De Majoritate & Obedientia*; & in capite *Novit*, *De Judiciis*; Et per Bonifacium VIII. in Extravaganti *Unam Sanctam*; locutum eſſe *Iſidorum Mercatorem*. Per Eugenium IV. in Bullis adverſus Baſileenſes, locutum eſſe *Turrecrematam*. Per Leonem X. in Bulla *Paſtor æternus*, & per Paulum IV. in Bulla *Cum ex Apoſtolatus Officio*, locutum eſſe *Cajetanum*. Per Paulum V. in Monitorio adverſus Remp. Venetam, & per Clementem XIII. in Monitorio adverſus Parmæ Ducem, locutum eſſe *Bellarminum*. At per Clementem XIV. in Encyclica *Cum ſummi*, locutum eſſe non privatum aliquem obnoxiumque Doctorem de Schola ſive Tomiſtiſtica, ſive Scotiſtica, ſive Jeſuitica; ſed (quod *S.Leoni Magno* acclamatum eſt a Chalcedonenſi Generali Synodo) locutum eſſe Petrum illum, quem omnium Apoſtolorum Principem, atque adeo Eccleſiæ ſuæ alterum poſt ſe fundamentum conſtituit Dominus Noſter Jeſus Chriſtus.

Nam *Mercatores*, *Turrecrematas*, *Cajetanos*, *Bellarminos*, *Suaretios*, & quidquid demum *luxuriantium ingeniorum* nomine ſcite admodum ab Alexandro Papa VII. deſignatum olim eſt; procul a Bibliothecis Epiſcoporum abeſſe jubet optimus ac ſapientiſſimus Pontifex. Unam Scripturam, unamque Scripturæ Interpretem Traditionem, pro Regula Fidei & Morum habendam & conſulendam docet. Et quamvis aliter ſenſiſſe, aliter factitaſſe aliquando viſi fuerint Prædeceſſorum nonnulli; ille tamen Apoſtolicæ Sedis dignitatem potius,

P 3 quam

quam Prædeceſſorum exempla habens præ oculis; nervos in eo omnes contendit, ut ipſa Petri Sedes in poſſeſſione conſervetur illius elogii, cujus meminit *Beatus Bernardus* in Epiſtula CLXXX. *Hoc ſolet habere præcipuum Apoſtolica Sedes, ut non pigeat revocare, quod a ſe forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum.*

Sperare igitur a Deo Optimo Maximo poſſumus ac debemus, fore, ut tanti Pontificis cura & auctoritate ab ſtirpe intereat quidquid hactenus Catholicis gravem, Proteſtantibus odioſam reddere ſolebat Romanam Curiam. Eritque Clementis XIV. ſingularis gloria, Pontifice eo ſublatum eſſe de Eccleſia Dei lapidem illum offenſionis & ſcandali, qui per annos ſeptingentos Sacerdotium & Imperium fœde inter ſe colliſerat.

SUM-

SUMMA
TOTIUS OPERIS.

Dedicatio ad Dominos Epiſcopos, pag. III.

PROLEGOMENA

Ad plenum tractandarum rerum intellectum cumprimis neceſſaria.

§. I. *Occaſio Operis* Tentamen Theologicum *Oliſipone editum; hujus Verſio Italica facta Venetiis; Impugnatio Romæ ad finem Verſionis*. pag. IX.
§. II. *Specimen Verſionis Italicæ* Tentaminis Theologici, *ut addiſcere inde lectores poſſint, & quam infideliter ſenſa mea expreſſerit Interpres Venetus, & quam temere ei fidem habuerit Romanus Anonymus*. pag. XI.
§. III. *Anonymus Romanus quam in ferendis cenſuris acerbus & immodeſtus: quam in argumentando captioſus & ſubdolus*. pag. XIX.
§. IV. *Ordo & ratio a me obſervanda in refutando Anonymo*. pag. XXVI.

DISSERTATIO I.

Quæ tota verſatur in depellenda a Libro meo hæreſis ignominia.

CAP. I. *Exponitur cenſura Anonymi*. pag. 1.
CAP. II. *Singulis hæreſibus Libro meo adſictis luculentiſſima ejuſdem Libri teſtimonia opponuntur*. Tentamini Theologico *ſuppetias fert ejus Appendix*. pag. 2.
CAP. III. *Explicantur & confirmantur certa loca* Tentaminis Theologici, *quibus Anonymus Romanus dicit oppugnari a me Primatum Romani Pontificis*. pag. 9.
CAP. IV. *Explicantur & confirmantur loca illa* Tentaminis Theologici, *in quibus Romanus Anonymus comminiſcitur, invidiſſe me Romanæ Eccleſiæ prærogativam illam*

illam & ſingularem auctoritatem, qua ceteris omnibus Eccleſiis antiſtare illa credenda eſt.

Emendatur Tentaminis Theologici *Italica Verſio.*

Oſtenditur nihil doctrinæ meæ adverſari, ſed vehementer potius favere Irenæum, Cyprianum, Optatum. *Favere etiam vehementer* Hieronymum, Auguſtinum, Gregorium Magnum, Gelaſium, *&* Bernardum.

Ex Sacris Litteris ceteræ Chriſtiani orbis Eccleſiæ non minus ſunt Chriſti Eccleſiæ, quam Romana Eccleſia.

Quo ſenſu Romana Eccleſia dicatur Catholica Eccleſia.

Petri de Alliaco, Joannis Gerſonis, Gloſſæ in Gratianum, Beſſarionis Cardinalis, Joannis Giberti, *& Octavæ Synodi Generalis illuſtres loci.*

Conſtantienſis Concilii cenſura adverſus Wicleffum, *unde firmatur ſolemnis diſtinctio ſenſus diſtributivi & collectivi, ubi auctoritas Papæ cum auctoritate Generalis Concilii comparatur.*

Illuſtriſſimus Boſſuetus *mihi perpetuo ſuffragans.* pag. 34.

CAP. V. *An ut mihi imputat Anonymus, parem ego auctoritatem paremque certitudinem tribuerim Definitionibus Pontificiis, ac Definitionibus Epiſcopalibus?*

Demonſtratur ab Italica Verſione Tentaminis Theologici *egregie deceptus Anonymus. Ejuſdem mala fides convicta.* S. Agobardi Lugdunenſis *locus egregius.*

Quod de auctoritate antiquarum Synodorum Provincialium in comprimendis novis hæreſibus ſcripſi, id ex S. Auguſtino, *Illuſtriſſimo* Boſſueto, Petro Aurelio, *&* Ludovico Tomaſſino *confirmatur.* pag. 47.

CAP. VI. *De illa* S.Columbani *ſententia ad Bonifacium Papam*, Tamdiu poteſtas apud vos erit, quamdiu recta ratio permanſerit, *Romani Anonymi nugæ & cavillationes.*

Verus ſenſus illius dicti Evangelici, Super Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, &c.

Cæca obedientia Pontificiis præceptis exhibenda, quam ex illo Evangelii loco adſtruere conatur Anonymus, deſtructa ex Gloſſa, Janſenio, *&* Maldonato.

Cur damnationi Queſnellianæ *Propoſitionis* xci. *ſubſcribere recuſarint tam multi Galliæ Epiſcopi ac Doctores.*

In eam rem egregia teſtimonia Polycratis Epheſini, Gregorii

gorii Magni, Auxilii *Presbyteri Romani*, Gratiani, Gerſonis, & Boſſueti.

Cenſura Pariſienſis Facultatis adverſus Propoſitionem Joannis Angeli.

Matthæi Pariſienſis *in Hiſtoria Anglorum locus memorabilis.*

Formula apud Theologos & Canoniſtas ſolemnis, CLAVE NON ERRANTE. *De ea* Joannis Pariſienſis *obſervatio*.

Abuſui Poteſtatis Pontificiæ quomodo reſiſtendum. Ex Turrecremata, Cajetano, Silveſtro, Franciſco de Victoria. pag. 53.

CAP. VII. *An graviori aliqua cenſura dignum ſit, (ut Romano Anonymo videtur) quod ego adfirmavi: fieri poſſe, ut Petri Succeſſor ſchiſmaticus evadat.*

Demonſtratur ex Gregorio de Valentia, & Andrea Duvallio, *doctrinæ meæ ſuffragari omnes Theologos*.

Quomodo erga Liberium, Pelagium I. & Paſchalem II. *ſe geſſerint Catholici Antiſtites*.

Quo ſenſu Liberio *anathema dictum ab* Hilario Pictavienſi.

Firmiliani *Cæſarienſis locus de* Stephano *Romano Pontifice*. *Alter* Columbani *Abbatis de Bonifacio*. *De eodem obſervatio Illuſtriſſimi* Boſſueti.

Schiſma non perſonam Papæ, ſed officium reſpicit, ex Cajetano. pag. 64.

CAP. VIII. *An ego Papam & Epiſcopos laicorum & feminarum congregationi ſubjecerim, ut contendit Anonymus?*

Venetæ Verſionis infidelitas oſtenditur.

Senſus illius propoſitionis meæ, Eccleſiam quæ in congregatione conſiſtit omnium fidelium, eſſe veluti dominam clavium: *ex aliis locis* Tentaminis Theologici *explicatur; ex Patribus autem & Theologis confirmatur*.

De Queſnello *ejuſque Propoſitione* XC. *quædam adnotantur, ſcitu haud indigna*. pag. 70.

CAP. IX. *De ſubjecto proximo & immediato ſpiritualis poteſtatis ſyſtema meum, & Anonymi Romani Cenſura; qui ut odioſum & execrandum reddat*, Richerianum *facit & hæreticum*. pag. 77.

CAP. X. *Quanta fraude & vaſritie ſyſtema meum expoſuerit Romanus Anonymus*. *Quanta* Richerianum *fecerit*.

De-

Demonſtratur ejus conſilium & artes eo omnino ſpectaſſe, ut Decreta Conſtantienſia de ſuperioritate Concilii Generalis, atque adeo ipſa Eccleſiæ Gallicanæ & Pariſienſis Academiæ de ea re Placita, oppugnato Tentamine *meo* Theologico *quaſi per latus impeterentur, & odioſa apud Theologorum vulgus redderentur.* pag. 84.

CAP. XI. *Ubi de ſubjecto proximo & immediato Eccleſiaſticæ poteſtatis agitur, ſtatum quæſtionis ſubdole diſſimulavit Anonymus.*

Ex Soto *igitur*, Navarro, Dupino, Natale Alexandro *&* Pariſienſi Facultate, *ſtatus ipſe quæſtionis aperitur.*

Origenis *&* Auguſtini *inſignes loci.*

Toſtatus *&* Zabarella *Pariſienſibus ſuffragantes.* pag. 91.

CAP. XII. *Peſſime Anonymus interpretatus eſt eos* Auguſtini *locos, quibus ego cum omnibus Theologis Pariſienſibus ſuperioritatem Concilii ſuperſtruxeram.*

Auguſtinus *ex* Auguſtino *exponitur.*

Reſponſio Illuſtriſſimi Boſſueti.

Æneæ Silvii *locus memorabilis.* pag. 99.

CAP. XIII. *Pari infelicitate Romanus Anonymus objecit Patres Florentinos & Baſileenſes.* pag. 104.

CAP. XIV. *Eccleſiaſticam Monarchiam Ariſtocratia & Democratia temperatam dixit non ſolum* Richerius, *ſed etiam* Alliacenſis, Gerſon, Marca, Dupinus, Gibertus, Boſſuetus, *Academia Pariſienſis, & noviſſime Eccleſia Hiſpanica.* pag. 106.

CAP. XV. *Doctrina de clavibus toti Corpori Eccleſiæ datis, deque ſuperioritate Concilii Generalis reſpectu Papæ, natales ſuos non debet* Avenionenſi *ſchiſmati.*

Loca Scripturarum & Patrum pro illa ſuperioritate.

His concinit Gloſſator Gratiani.

Gerſonis, Cuſani, Æneæ Silvii, *& illius, qui in* Boſſuetum *Notas edidit, teſtimonia memoranda.* pag. 115.

CAP. XVI. *Doctrina de ſuperioritate Concilii Generalis viget etiamnum in Gallia, ut Sorbonæ propria: & a tota Eccleſia Gallicana peculiari ſtudio colitur & obſervatur.*

Teſtimònia Gerſonis, Almaini, Majoris, Pighi, *& aliorum.*

Objectio ex Petro de Marca *ſoluta a* Boſſueto. *Objectio ex* Fleurio *ſoluta ab ipſo* Fleurio, *&* Realio.

Ab-

Abſurde & periculoſe novam dici doctrinam Concilii *Conſtantienſis*. pag. 118.

CAP. XVII. *Hiſpanis quoque communis & familiaris fuit eadem doctrina uſque ad tempora Concilii Tridentini.*

Interrupta Jeſuitarum opera, noſtris temporibus refloreſcit ſtudio Antiſtitum Hiſpanorum.

Refloreſcit & in Germania ſtudio & opera celeberrimi Stokii *Canonici Vindobonenſis*. pag. 123.

CAP. XVIII. *Damnatio* Richeriani *Libelli in Gallia ſtratagema fuit Jeſuiticæ & Romanæ factionis, ad Sorbonam peregrinis doctrinis corrumpendam.*

Teſtimonia Boſſueti, *& ejus nuperi Scholiaſtæ, quibus concinit* Racinius, *& Scholiaſtes* Fleurii.

Richerii *Reſponſio ad* Duvallium *Romano Anonymo apprime quadrans*. pag. 126.

DISSERTATIO II.

Quæ tota occupatur in eluenda ſchiſmatis labe, qua Librum meum adſperſit Romanus Anonymus.

CAP. I. *Summa ſchiſmaticarum idearum, quibus Librum meum refertum dicit Anonymus Romanus*. pag. 134.

CAP. II. *Primum caput accuſationis diluitur. Infidelitas Venetæ Verſionis notata. Demonſtratur eſſentia Primatus ex* Bernardo *recte collocari in Suprema Inſpectione, ſeu Generali Superintendentia Papæ ſuper omnes fideles eo fine, ut unuſquiſque in ſuo officio contineatur.*

In eandem rem ſuffragia Gregorii Magni, *Concilii Florentini*, Gerſonis, Almaini, Soti, Bellarmini, Fleurii, *& ejus Scholiaſtæ.*

Diſtinctio poteſtatis ordinariæ & extraordinariæ in Apoſtolis reſpectu Succeſſorum impugnatur.

Quomodo ſalva prærogativa Primatus, poſſent eſſe ſinguli Epiſcopi quodammodo Œcumenici. pag. 135.

CAP. III. *An memorata Primatus notio, conſiſtens in ſuprema Inſpectione generalique Superintendentia pro continendis in officio Chriſtianis omnibus, pugnet cum fine ſchiſmatis evitandi, quem in alio loco adſerui*. pag. 150.

CAP.

CAP. IV. *Secundum caput Romanæ cenſuræ diſſolvitur, quod in eo ſitum eſt, quod ex verbis Evangelicis* Matth. XXVIII. 18. *Et* Joann. XX. 21. *collegi, Juriſdictionem Epiſcoporum in ſemet ſpectatam, hoc eſt, in ſua inſtitutione a Chriſto facta, præſciſſiſque lege, vel conſuetudine, vel reſervatione in contrarium; Juriſdictionem quandam eſſe abſolutam & illimitatam reſpectu ſingularum Diœceſium.*

De Diviſione Diœceſium rurſus agitur. Ea non divino ſed Eccleſiaſtico, atque adeo humano jure, inſtituta demonſtratur.

Quomodo ab Eccleſia certis regulis coerceri & reſtringi potuerit divina auctoritas Epiſcoporum.

Olim magni momenti nihil in Eccleſia ſtatuebatur, niſi adhibita Epiſcoporum Synodo, communique deliberatione. Ex Zabarella, Marca, & Holſtenio.

Cenſura Facultatis Pariſienſis adverſus Vernantium *a* Boſſueto *laudata.*

Romano Pontifici ex vi Primatus non major auctoritas in Coepiſcopos, quam Petro in Coapoſtolos.

Gerſonis *locus explicatur.*

Parochi Epiſcopis magis obnoxii ſunt, quam Epiſcopi Summo Pontifici. Ex Clero Gallicano & Toſtato *Abulenſi Epiſcopo.*

Præter Apoſtolos, nullus alius perſonaliter clavium poteſtatem a Chriſto immediate accepit. Ex Ratramno, Victoria, & Thomaſſino.

Quomodo hoc conciliari poſſit cum doctrina Pariſienſium. Ex Petro Aurelio. pag. 155.

CAP. V. *Tertio capiti accuſationis fit ſatis, quod inde inſtituitur, quod verbis illis,* Dic Eccleſiæ, *erectum a Chriſto dixerim ſupremum quoddam Tribunal, cujus judicio ſubjaceret ipſe Romanus Pontifex: hoc eſt, datam Eccleſiæ, ejuſque Synodo Generali auctoritatem in omnes fideles cujuſcumque dignitatis etiam Papalis, ut Conſtantiæ definitum eſt anno* MCCCCXV.

Anonymi mala fides oſtenſa ex Gerſone, Almaino, Majore, Ænea Silvio, & Natale Alexandro. pag. 171.

CAP. VI. *An ferendum ſit ad ſchiſma referri quarto loco ab Anonymo Romano, quod ego ſcripſi in* Tentamine

ne Theologico *Principio* v. *Num.* xxxvi. Summum Pontificem non eſſe caput Eccleſiæ univerſalis collective ſumptæ, ſed diſtributive.
Eccleſia mortuo Papa non remanet acephala. Ex Panormitano, & *Gloſſa Clementinarum.*
Diſtinctio ſenſus collectivi & diſtributivi, ubi Romanus Pontifex cum Generali Synodo comparatur, firmata rurſus ex Alliacenſi, Gerſone, Almaino, Boſſueto.
Ex omnium Theologorum & Canoniſtarum ſententia multi caſus contingere poſſunt, etiam extra ſchiſma, in quibus abſque Romano Pontifice celebrari poſſit ac debeat Concilium Generale.
Teſtimonia Veterum ex Thomaſſino *objecta ab Anonymo, ſoluta ex* Boſſueto.
Chalcedonenſes Patres & Bernardus *fruſtra ab eodem Anonymo in auxilium vocati.* pag. 175.
CAP. VII. *Ex* Thoma Corcellæo, Boſſueto, & Fleurio *id evertitur, quod Anonymus objicit; doctrinam de ſuperioritate Conciliorum Generalium majeſtati & independentiæ Principum Sæcularium eſſe noxiam & periculoſam.* pag. 182.
CAP. VIII. *Poſtremum caput accuſationis diluitur, cui inſtituendo occaſionem dedit Verſio Italica* Tentaminis Theologici, *Luſitana verba peſſime reddens.* pag. 185.

DISSERTATIO III.

Quæ tota verſatur in vindicandis iis, quas Romanus Anonymus Confuſiones *vocat.*

CAP. I. *An ad maledicentiam referri debeat, quod ego abuſus quoſdam Romanorum Pontificum ex* Bernardo *aliiſque Catholicis piiſſimiſque Scriptoribus evulgavi.*
Quam indigne ab Anonymo Romano habitus Gerſon.
Huic concinunt Ivo Carnotenſis & Bernardus Claravallenſis. pag. 189.
CAP. II. *De ſecunda, tertia, & quarta confuſione agitur, mihi ab Romano Anonymo imputata.*

Con-

Confuſi mecum Alliacenſis, Gerſon, Zabarella, Boſſuetus, Launojus, Dupinus.
Diſcrimen utriuſque poteſtatis ex Evangelio, Gregorio Turonenſi, *& Conſtantienſi Synodo*.
Anonymi ineptæ & inanes evaſiones. pag. 193.
CAP. III. *Quinta & ſexta confuſio mihi objecta evolvitur.*
Senſus Evangelici loci, Reges gentium dominantur eorum, &c. *rurſus panditur ex* Chryſoſtomo, Gregorio Magno, Bernardo, Alliacenſi, Gerſone, Polo *Cardinale*, Boſſueto, Dupino, Marca.
Almainus & Marca *Romanis ſubtracti*.
Locus Tentaminis Theologici *a Veneto interprete peſſime verſus*.
Bernardi *locus peſſimo ſenſu objectus*.
Anonymi vana religio & mala fides novis argumentis oſtenſa. pag. 199.
CAP. IV. *Confuſio ſeptima, octava, & nona diſpellitur.*
Romani Anonymi pro Ultramontanis Placitis obſtinatum & immite ingenium.
Peroratio ad Epiſcopos & Doctores Eccleſiæ Gallicanæ. pag. 207.
CAP. V. *Decima & ultima confuſio mihi objecta ſatis oſtendit, quam male Romanos habeat, quod ex antiquis monumentis manifeſtetur mala fides ipſorum in emendandis Miſſalibus & Breviariis*.
Edmundi Richerii *locus memorabilis*.
Quam multa alia ex antiquis Libris eraſerint Romani Curiales. pag. 211.
CAP. VI. *Anonymi Romani vana religio & mala fides ultimo demonſtratur*. pag. 216.

FINIS.

527488

NAPOLI

NIOLA
Digitized by Google

Digitized by Google